PLINII MINORIS
EPISTOLAE

QUID AD PUEROS EDUCANDOS
APTUM PRAEBEANT

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI PROPONEBAT

H. LION

Facultatis litterarum Parisiensis olim alumnus
Gallicae Universitati aggregatus

PARISIIS
APUD HACHETTE ET SOCIOS BIBLIOPOLAS
VIA DICTA BOULEVARD SAINT-GERMAIN, 79

MDCCCXCV

PLINII MINORIS

EPISTOLAE

COLUMBARIIS
Ex typis PAULI BRODARD.

PLINII MINORIS

EPISTOLAE

QUID AD PUEROS EDUCANDOS

APTUM PRAEBEANT

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI PROPONEBAT

H. LION

Facultatis litterarum Parisiensis olim alumnus

Gallicae Universitati aggregatus

PARISIIS

APUD HACHETTE ET SOCIOS BIBLIOPOLAS

VIA DICTA BOULEVARD SAINT-GERMAIN, 79

—

MDCCCXCV

J. MARTHA

APUD PARISIENSEM FACULTATEM PROFESSORIS PARTES AGENTI

Hoc opusculum

dicabat summa cum reverentia

H. LION.

PLINII MINORIS EPISTOLAE

PROOEMIUM

Nemo est profecto qui Plinii Minoris in epistolis, quemadmodum in quibusdam sive graecis sive latinis operibus, permulta de puerorum adolescentiumve institutione reperiri posse existimet. Sunt tamen nonnulla passim dispersa disjectaque, ad pueros aut aperte spectantia aut obiter, quae in unum colligere sane non dedeceat. Unde perspiciatur quid ipsae, magistrorum etiam omisso auxilio, legentibus discipulis prosint epistolae.

Hoc autem erit etiam videndum quantum antiqua haec opera, quae nunquam puerilem profitentur disciplinam, pueros tamen ad informandos sive rerum copia sive exemplorum laeta ubertate, insitam quasi vim habeant et peculiare ingenium. Hoc praesertim tempore quo simul et antiquarum artium tractatio, prisco honore jam destituta, recentiores apud multos fere contempta jacet, et nova apparet scientia, jure quidem probatissima, quae in pueris, imo in puerorum magistris, educandis tota versatur, res erit, ni fallor, nec absona nec supervacua. — Sub judice lis est.

I

QUID DE PUERORUM INSTITUTIONE SENSERIT C. PLINIUS SECUNDUS

C. Plinii Secundi epistolas, vel leviter, intuentibus satis patet illum pueros (sive infantes, sive adolescentes) multo amore fuisse prosecutum. Primum omnium argumento est quanto ardore liberos habere usque ipse exoptaverit [1], qua maestitiae et doloris acerbitate Calpurniae suae abortum sustulerit. Nempe tali oppressus calamitate eo usque constanter se gerit ut nunc Fabatum prosocerum, nunc Hispullam amitam soletur [2] : quorum altera Calpurniam quasi filiam diligebat, alter vero, jam senex, pronepotum erat cupidissimus. Hujus autem animum, si altius introspicere velis, debilitatum fractumque reperias. Nec aliud habet solatium nisi ex hac fecunditate, « quanquam parum prospere explorata [3] », futurae spem fecunditatis. Additque non sine maesta ingenuitate : « Iisdem nunc ego te, quibus ipsum me, hortor, moneo, confirmo.

1. Cf. edit. Keil, IV, 13, 5 : « qui *nondum* liberos habeo ».
2. Cf. VIII, 10 et 11.
3. VIII, 10, 2. Cf. ibid : « Igitur, ut necesse est graviter accipias senectutem tuam quasi paratis posteris destitutam, sic debes agere diis gratias quod ita tibi in praesentia pronepotes negaverunt, ut servarent nepotem, illos reddituri. »

Neque enim ardentius tu pronepotes quam ego liberos cupio [1]. » Ceterum, nonne is est qui liberorum acri desiderio ter sibi uxorem duxerit? Nonne is est qui procreare liberos ad officium boni civis pertinere existimet? Vide enim quid de Asinio Rufo scribat : « Nam in hoc quoque functus est optimi civis officio, quod fecunditatis uxoris large frui voluit eo saeculo quo plerisque etiam singulos filios orbitatis proemia graves faciunt [2]. » Pro certo igitur teneamus Plinium, cum suimetipsius cupidinem cupidine suorum excitari et semper renovari videret, maximo affectum esse desiderio quod liberos habere cupienti enitentique res non succederet.

Inde quidem evenit ut amicorum liberos diligenter (ne dicam effusius) per omnem vitam adamaverit. Nec tantum adamabat verum etiam inter illos versari non dedignabatur. Si res aliter se habuisset, non certe amici de pueris educandis consilia vel auxilium ab eo fere omnes petiissent. Officiosam ejus, dicet aliquis, et fuisse et esse amicitiam sane non ignorabant eumque profecto aut ex animi mentisque virtutibus aut ex oratoria poeticaque facultate educatricem quamdam disciplinam ultro hausisse putabant : quod non fidem excedit. Attamen multo potius existimandum est, cum revera nullius et fuisset et esset magister, plerosque ei ob apertum erga pueros amorem curam mandavisse ut praeceptores eligeret liberis quos, in futurum oratores, jam clientes natura patronus haberet. Utcumque est, hoc onus semper libentius suscepit, nedum gravius judicaret. Quanta enim, ut ita dicam, alacritate haec Maurico scribit! « Quid a te jucundius mihi potuit injungi quam ut praeceptorem fratris tui liberis quaererem [3]? » Hoc autem mandatum sibi jucundissimum habet, quia primum, inquit, maximam fidem studiumque maximum seu Maurico seu fratris memoriae

1. Ibid., 3. — 2. IV, 15, 3. — 3. II, 18, 1.

debet, deinde quia Maurici gratia (ut ipsius verba referam) in scholam redit, « dulcissimam illam aetatem quasi resumit [1] », sedet inter juvenes atque maxima cum voluptate (nec parva sui existimatione) experitur quantum ipse auctoritatis apud illos ex studiis habeat [2]; denique quia amicorum liberos, quasi suos, diligit, fovet et adjuvat. Itaque ad omnes « qui profitentur » it reditque eosque docentes, serior discipulus, audit. Nec timet ne sibi offensas multas in eligendo praeceptore suscipiat : modo spectat ut digni patre, digni patruo fiant Maurici nepotes. Quos quidem ita adjuvare cupit ut curam hanc, etiamsi non mandasset Mauricus, ipse sibi vindicasset [3]. Eodem et amore Corelliae Hispullae filium amplectitur, cujus instituendi gratia Iulium genitorem ei commendat praeceptorem [4]; eodem Ummidiae Quadratillae nepotem, cujus nempe studia ipsi fuerant commendata [5]. Utinam de his adolescentibus, quae de I. Avito, scribere potuisset Noster! « Ad hoc ita me diligebat, ita verebatur ut me formatore morum, me quasi magistro uteretur [6]. » Rarius autem adolescentes erant ita mente affecti. « Nam quoties quisque vel aetati alterius vel auctoritati, ut minor, cedit? Statim sapiunt, statim sciunt omnia, neminem verentur, imitantur neminem atque ipsi sibi exempla sunt [7]. » Quis tamen fuit dignior cum adolescentium reverentia, tum amore etiam, quam qui adolescentibus maximam deberi reverentiam judicaret eosque quam maxime revereretur ipse? qui tanta indulgentia uteretur aliosque eadem uti cuperet ut quemdam amicum nimia erga liberum severitate

1. In Epistola (II, 3, 5) de Isaeo haec : « Annum sexagesimum excessit et adhuc scholasticus tantum est : quo genere hominum nihil aut sincerius aut simplicius aut melius. »

2. « Nam proxime frequenti auditorio inter se coram multis ordinis nostri clare jocabantur : intravi, conticuerunt; quod non referrem nisi ad illorum magis laudem quam ad meam pertineret. »

3. II, 18, 4. — 4. III, 3. — 5. VII, 24; « nepotem familiarissime diligo ». (Ibid., 2.) — 6. VIII, 23, 2. — 7. Ibid.

arcere omni modo tentaret [1]. Et Plinii quidem, nec alterius, haec sunt verba quae, ni fallor, ante oculos magistris sunt proponenda et animis quam maxime imprimenda, scilicet : « Cogita et illum puerum esse et te fuisse, atque ita hoc quod es (pater) magister utere ut memineris et hominem esse te et hominis (patrem) magistrum [2]. » Mutato uno verbo nihil sane de re mutatur : patris enim personam gerit (aut gerere debet) magister [3].

Quis enim neget patrem ipsum, modo doctrinam habeat, optimum esse magistrum? Quis Plinium non probet Geniali gratulantem quod patrem habeat disertissimum a quo, vel quid laudandum, vel quid reprehendendum discere possit, qui natum ita instituere polleat ut hic « verum dicere adsuescat », quem denique sequi et in cujus vestigiis insistere sit necessarium [4]? Quin etiam, quis ab eo dissentiat cum, magna eloquentiae vi, concitato animi ardore, suos municipes impellit hortaturque et, ut ita dicam, precatur ut pueros educandos non jam ad loca mittant externa? Quod optime ex inclyta illa epistola ad Cornelium Tacitum missa, quam nemo ignotam habet, cognoscere licet. Nec desunt profecto argumenta, gravia quidem, quae tamen singillatim hic referre otiosum est. Quorum praecipuum hoc : « Ubi, inquit, aut jucundius morarentur (liberi) quam in patria aut pudicius continerentur quam sub oculis parentum aut minore sumptu quam domi [5]? » Nihil autem praestantius, nihil ad persuadendum accommodatius quam si ab utilitate exordiaris. At postea Plinius, ab utilitate rei perficiendae ad rem ipsam orationem trahens, educationem hanc in patria et apud parentes facillime haberi posse

1. IX, 12. — 2. Ibid., 2.

3. Cf. Quinct. *Inst. orat.*, II, 2, 4 : « Sumat igitur ante omnia parentis erga discipulos suos animos, ac succedere se in eorum locum, quibus sibi liberi tradantur, existimet. »

4. VIII, 13, 1. — 5. IV, 13, 4.

demonstrat. Quam quidem tanti putat esse atque adeo tenet necessariam, ut, audientibus omnibus, ne facta cum verbis non congruant, se declaret esse paratum, licet liberos non habeat, magnam quotannis conferre pecuniam. Hoc autem beneficium, si epistolam attentius legeris, non minore prudentia quam liberalitate concessum sane judicabis. Nempe dando diligentissime praecavet ne pecunia, data nunc ad magistros arcessendos, in re posthinc absona absurdaque tota consumatur. Neque id injuria. Excellentis enim animi est tum beneficia dare, tum sua, si necesse, in tuto collocare. Plinio igitur hoc congratulemur quod ex hac sub oculis parentum educatione majorem intellexerit concipi posse erga parentes amorem, et mores simul non in idem vocari discrimen, et liberos praesertim, educatos ubi nascuntur, statim ab infantia omnes quadam necessitate consuescere, « natale solum » et amare et « frequentare ».

Noster autem pueros educandos sua in patria si retinere vult retinetque, non est qui, eos domi tardius continens, publica ex educatione et publicis a magistris arceat. Ita Fabii decet discipulum. Fabium enim multis laudibus publicam extulisse institutionem, quis ignorat [1]? Non igitur mirum si magistri vestigiis, quod ad hoc pertinet, discipulus reverentissimus, ingreditur Plinius. Quod imprimis ex epistola (III, 3), cui inscriptum est Corelliae Hispullae nomen, aperte patet. Postquam enim dixit magni interesse adolescentium, utrum honestis artibus fuerint imbuti an non, Hispullae suadet ut adolescentem, quem adhuc « pueritiae ratio » intra contubernium tenuit, externis permittat magistris. « Jam studia ejus, inquit, extra limen proferenda sunt [2]. » Nec alio modo Maurici nepotibus providet. Cum praeceptores, Maurico hortante, quaerit Plinius, minime domesticos quaerit, publicos

1. Cf. praesertim *Inst. orat.*, I, 2.
2. III, 3, 3.

autem, scilicet rhetores. Quod inde perspicuum : « Nam beneficio tuo in scholam redeo.... Nam proxime frequenti auditorio.... Quod superest, cum omnes qui profitentur audiero, quid de quoque sentiam scribam [1]. » Nusquam enim, quomodo ipse fuerit educatus, oblivisci videtur. Aetatem nempe, qua rhetorum scholas frequentavit, non modo jucundissimam, verum etiam « dulcissimam [2] » ducit. Quam quidem sententiam utinam nostri scholastico de tempore habeant discipuli! Quis autem puer domi habuit magistrum et animi et mentis dotibus insigniorem, quam qui virum inter omnes conspicuum, Caium Plinium Secundum avunculum? Cujus ante oculos versata fuerunt quotidie majora praestantioraque exempla? Nonne hujus epistolas percurrenti persaepe occurrunt et Verginius Rufus, cujus virtutes modestiamque decenter laudare non humanum est [3]; et Frontinus, « vir magnus quantum licebat [4] » (ut Taciti verba usurpem); et Corellius Rufus, qui, ne sub Domitiano moreretur, summam est passus valetudinem [5]; et Junius Arulenius Rusticus propter laudes editas Thraseae Paeti et Helvidii Prisci a Domitiano capitis damnatus [6]; et, ut brevius rem exsequar, feminae hae, quarum nomina saepe in epistolis subeunt satisque ipsa loquuntur, Corellia quippe Hispulla, Arriaque et Fannia! Quos quidem omnes eadem fere quam ipsum avunculum caritate complectitur et observantia colit, imo sibi pueritiae adolescentiaeque praeceptores et totius vitae patronos profitetur. Alios tamen magistros, quos in scholis, seu Romae, seu in Asia audivit, nihilominus amat, vel Artemidorum, vel Nicetam, vel Euphratem ac Musonium quos, non contentus laudibus extollere, potissimum curat adjuvatque [7]; M. Fabium praesertim Quincti-

1. II, 18, 3. — 2. Ibid., 1. — 3. Cf. II, 1; VI, 10; IX, 19. — 4. Cf. *Agric.*, XVII. — 5. Cf. *Epist.*, I, 12. — 6. Cf. III, 11, 3; V, 1, 8; — 7. Cf. III, 11; VI, 6; I, 10; III, 11.

lianum cujus et fuisse et nunc esse discipulum non sine aliqua superbia se praedicat[1]. Unde sequitur ut, aequalium instar, scholasticas exercitationes venditet foveatque, quas nempe, etsi forsan non subtilis adeo et callidus existimator, sincera certe fide admiratur.

Temporis autem moribus non adeo inservit ut a praeceptoribus seu domi seu in schola ad pueros educandos adhibitis solam bene dicendi artem, ne dicam putidiorem elegantiam, in qua omnes fere excellebant, tantum requirat. Rhetorum enim (quotusquisque tum praeceptor erat qui nomen istud non superbius praeferret!) hoc erat munus et quasi artificium non tam ut discipulos sapere docerent quam ad dicendi jactationem, omissis rebus, informarent. Nemo non igitur hos sectabatur et imitari certabat qui, neglecta antiqua orationis modestia et simplicitate atque illa in docendo edisserendoque brevi ac pura subtilitate, totam dicendi facultatem opus ad circulatorium vertentes, cum in verbis pingendis, tum in illuminandis sententiis paene toti, nihil nisi verborum calamistros tinnitusque, rerum ita incuriosi ut quasi verbis oppressae non jam apparerent, exquisitius aucupabantur. Inde fiebat ut peringeniosi hi homines, speciosis facetisque dicendi ornamentis capti et sibi ultro fucum facientes, suo officio optime fungi se existimarent si adolescentes citius ad hanc inquinatam distinctamque artem, et, ut uno omnia expleam, ad lascivias istas verborum captandas revera idoneos efficerent; et efficiebant quidem, nihil mentis ad bonas artes informandae securi.

Quorum profecto ad evertendam funditus disciplinam *Oratoriam Institutionem* composuit M. Fabius Quintilianus. Toto enim in opere, cum hinc nullum esse, nisi bonum virum,

1. Cf. II, 14, 10 : « Ita certe ex Quinctiliano, *praeceptore meo*, audisse memini ». — Cf. VI, 6, 3.

dicendi peritum affirmat [1], illinc « rationem recte honestaeque vitae ad philosophos relegandam » negat [2] quae antea oratoris erat etiamque nunc et oratoris et rhetoris esse deberet, quantum oratorum rhetorumve moribus pretii faciat, omnino aperte significat. Cum igitur philosophis « optima sui operis parte cesserint » oratores [3], cum nunc nec ab oratore nec a rhetore « studia sapientiae » petenda sint, justis de causis rhetore in eligendo ad mores praesertim oculos convertere operae pretium est. Quod nobis praecipue commendat Quinctilianus. « Ergo, cum ad eas in studiis vires pervenerit puer, ut, quae prima esse praecepta rhetorum diximus, mente consequi possit, tradendus ejus artis magistris erit, quorum imprimis inspici mores oportebit.... Nam et adulti fere pueri ad hos praeceptores transferuntur, et apud eos juvenes etiam facti perseverant, ideoque major adhibenda tum cura est, ut et teneriores annos ab injuria sanctitas docentis custodiat, et ferociores a licentia gravitas deterreat [4]. » Haec Fabius; quid Plinius? Easdem a rhetore virtutes vindicat, severitatem imprimis, et pudorem, et castitatem. « Jam circumspiciendus rhetor latinus, cujus scholae severitas, pudor, imprimis castitas constet [5]. » Nec aliam ob causam eadem in epistola (III, 3) latinum rhetorem (graecos, et dona ferentes, timens), Julium scilicet Genitorem unice commendat. Rem autem adeo gravem judicat ut in hoc praeceptoris delectu sibimetipsi suaeque amicitiae tantum non diffidat. Nam « in hoc lubrico aetatis non praeceptor modo sed custos etiam rectorque quaerendus est [6] ». Quae sequuntur clarius etiam Plinii sententiam illustrant. « Vir est emendatus et gravis, paulo etiam horridior et gravior, ut in hac licentia temporum. Quantum eloquentia valeat

1. Cf. *Inst. orat.*, passim, II, 16; II, 17; II, 20; II, 21; XII, 1; XII, 7; XII, 11.
2. Ibid., I, 1, 10. — Cf. ibid., X, 1, 35; XII, 2, 8.
3. Cf. ibid., X, 1, 35. — 4. Ibid., II, 2, 3. — 5. Cf. *Epist.*, III, 3, 3. — 6. Ibid., 4.

pluribus videre potes; nam dicendi facultas aperta et exposita statim cernitur : vita hominum altos recessus magnasque latebras habet, cujus pro genitore me sponsorem accipe. Nihil ex hoc viro filius tuus audiet nisi profuturum ; nihil discet quod nescisse rectius fuerit nec minus saepe ab illo quam a te neque admonebitur, quibus imaginibus oneretur, quae nomina et quanta sustineat. Proinde faventibus Dis trade eum praeceptori, a quo mores primum, mox eloquentiam discat, quae male sine moribus discitur [1]. » Praeclare quidem : quae quatenus Quintilianum redoleant, neminem certe fallit. Nec fallit quam praecipuum esset et praecellens, cum omnes verborum ludicris tantum indulgerent, quod vitium et ipse non satis praecaveret, et ad mores usque ante omnia spectavisse hosque quasi patrocinio habuisse, et praeceptorem, ut qui solus aliquoties patris in locum subire posset, paternas ad partes convocasse. Nec diversa profecto, quanquam multo rariora, aliis in epistolis invenire est. Nempe quem ad finem hoc Maurico referret scilicet adolescentes, frequenti in auditorio, ipso intrante, subito conticuisse, nisi ut inde eum « sperare vellet posse fratris sui filios *probe* discere [2] ». Gravissimam nempe hanc curam habet, quam constanti animo sustinet, qua nunquam libenter se vacare exoptat. Honestis artibus imbutos esse pueros necessarium sentit judicatque; quas quidem artes plurimum refert, ut dicit, a quibus potissimum accipiant. Itaque, postquam Comi apud municipes patriae educationis causam egit idque de quo disputabatur obtinuit, cum jam Roma Comum magistros arcessere oporteret cumque non deessent quibus ad hos eligendos, sive necessitudine conjunctis sive amicitia, uti posset, Tacito, Tacito, inquam, munus hoc quasi religiosum commisit ut « ex copia studiosorum quae ad eum ex admiratione ingenii conve-

1. Ibid., 5 sqq. — 2. II, 18, 2.

niat [1] » præceptores diligentissime eligeret. Nonne etiam tibi videtur Nostrum blanditiis quibusdam, minime quidem ambitiosis, jucundis tamen, ad munus et suscipiendum et optime explendum, amicum callida arte stimulavisse? Quis autem praeceptoribus, a Tacito scrupulose electis, diffidere jure posset? Felices nimium o Comenses quibus, Plinio Tacitoque operam consociantibus, suos praeceptores habere contigerit!

Ceterum noster eo impensius curiosiusque magistros requirebat quod docendi artem sentiret esse difficiliorem ejusque labores ac taedium etiam non ignoraret. Itaque a magistris, ut scientiam et animi prudentiam, sic humiliores quoque virtutes, et ob id ipsum forsitan rariores, reposcebat : lenitatem nempe indulgentiamque. De quibus nihil usquam peculiariter dicit. Sin autem vel propria ex indole vel ex epistola, jam commemorata, quae severiorem patrem ad indulgentiam incitat, conjecturam facimus, haud dubium quin has maxime a praeceptoribus requireret. Lenior profecto fuit quam ut severiores pateretur.

Puerorum vero educationis fuit studiosior et ad munificentiam natura propensior quam ut praeceptores ad suam patriam arcessere satis haberet. Quantuli enim referret Comi esse magistros si hic nec bibliothecam nec discipulos illi nanciscerentur? Quod antea animo quasi praesagiens nunc patriae bibliothecam [2], nunc annuos sumptus in alimenta ingenuorum [3] uberrima donabat liberalitate aut se donaturum pollicebatur. Quod ad bibliothecam pertinet, et condidit, et conditam longa magnificaque oratione dedicavit. In qua vel componenda vel recitanda non ita vanitati indulsit ut semetipsum supra nubes extolleret laudator indefessus intempestivusque, sed ut honestis cogitationibus immoraretur [4], illarum

1. IV, 13, 10. — 2. I, 8, 3. — 3. Ibid., 10. — 4, Ibid., 8.

pulchritudinem vimque longiore tractatu illustraret, subitae largitionis poenitentiam (ut saepius fit) ultro effugeret, et pecuniam contemnere largiendo assuesceret. Quod ad annuos sumptus, postea pervenit ut promissum erga comenses pueros omnino exsolveret. Trajani nempe liberalitatem [1], qui primus seu Romae seu aliis in oppidis ad ingenuorum alimenta pecuniam dedit, imitans Noster, non minus quam quingenta millia nummum in hunc usum obtulit [2]. Hoc autem in beneficio sua solita, quod laudi est, prudentia utitur. « Nam, inquit, pro quingentis millibus nummum, quae in alimenta ingenuorum promiseram, agrum ex meis, longe pluris, actori publico mancipavi : eumdem vectigali imposito recepi, tricena millia annua daturus. Per hoc enim et rei publicae sors in tuto nec reditus incertus et ager ipse propter id, quod vectigal large supercurrit, semper dominum a quo exerceatur inveniet [3]. » Nihil prorsus peritius inveniri posset, nihil quod ejus et liberalitatem et rerum experientiam clarius illustraret. Laudetur ergo, et tanto libentius quod fere unus sub hanc aetatem, qua tamen vigebant studia, omni ope, toto animo et effusa quasi pecunia efficere sit enisus ut in patria ipsa magistri ad docendum, adolescentes ad discendum omnia habuerint necessaria ; quod optatum ad exitum cito pervenerit; quod postremo, optime educatus, pueros ad optime educandos nihil unquam negare voluerit.

Praecepta autem, quae sunt ad puerorum animos instituendos idonea, in epistolis non habemus. Nec multo plura de alendis mentibus informandisque; quaedam tamen. Quanquam enim nihil de graecis vel latinis operibus quae tum mos erat inter puerorum manus ponere [4] suam promit senten-

1. Cf. *Panegyr.*, XXVII, 1. — 2. Cf. *Epist.*, VII, 18, 2. — 3. Ibid.
4. Cf. Ovidium, *Tr.*, II, 369; Stace, *Silv.*, V, 3, 146; Tac., *Dial.*, 26; Suet., edit. Teubner, 300, 5, etc. Cf. Friedländer, cujus opus vertit Vogel : *Les*

tiam (nisi forsan dictum hoc acutius in magistros qui homericorum operum interpretationem vel teneris pueris in schola imponunt [1], sunt tamen nonnulla de arte scribendi et de adhibendis exercitationibus, quae sine dubio, etiamsi propius ac certius in oratorem cadant, tanto magis ad omnes pertinent adolescentes quanto omnes, hoc aetatis, quasi rerum necessitate ad oratorium genus vehementius tendebant. Hanc enim epistolam, qua Fusco de studiis quaedam mandat consilia, pro argumento tenemus [2]. Non hic jam cum suo, ut modo de Homeri operibus discendis, dissentit Quinctiliano [3]. Semel satis est. Adeo autem nunc ab eo non dissidet et Quinctilianicae educationis quasi meram imaginem exprimere nobis videtur ut verba saepissime verbis illius (necnon et Marci Tullii) conferre nobis liceat. Nullum ea res fugit; similes enim locos omnes notaverunt [4]. Caeterum, epistolae principio, in illorum auctoritate Plinius delitescit quorum utrumque magistrum habuit, alterius libris scilicet edoctus, quem absolutum in scribendo sentit et perfectum, voce alterius et doctrina, quem in docendo minorem non existimat. « Multi praecipiunt, inquit, utile esse vel ex graeco in latinum, vel ex latino sermone vertere in graecum. » Hoc enim praecipiunt Tullius Fabiusque [5]; quos si pro multis tenet Plinius, quis igitur ei

mœurs rom. du règne d'Auguste à la fin des Antonins, IV, 1, 10. — *Epistolae*, VII, 9, in clausula dicit Plinius : « Qui sint hi (legendi) adeo notum probatumque est ut demonstratione non egeat. »

1. Cf. *Ep.*, II, 14, 2 : « Ceteri autem, atque etiam magna ex parte adolescentuli obscuri ad declamandum huc (id est ad centumvirales causas) transeunt : tam irreverenter et temere ut mihi Attilius noster expresse dixisse videatur, sic in foro pueros a centumviralibus causis auspicari, ut ab Homero in scholis. Nam hic quoque, ut illic, primum coepit esse, quod maximum est. »

2. VII, 9.

3. Quinctil. enim, I, 8, 5 : « Optime, inquit, institutum est ut ab Homero atque Vergilio lectio inciperet. »

4. Cf. imprimis Gierig : *C. P. C. S. Epistolarum libri decem*, Lipsiae, 1802, II, p. 133 sqq.

5. Cf. Quinct., X, 5, 2 : « Vertere graeca in latinum veteres nostri ora-

jure succenseat? Eosdem et magistros quasi sonat rursus, quum hujus rei rationes praebet : « Quo genere exercitationis [1] proprietas splendorque verborum, copia figurarum [2], vis explicandi, praeterea imitatione optimorum similia inveniendi facultas paratur [3]. Simul quae legentem fefellissent, transferentem fugere non possunt [4]. Intelligentia ex hoc et judicium adquiritur. » De translatione haec. Nunc ad alias exercitationes se vertit, quae constant aut in perpetua cum externis et latinis aemulatione, aut in scribendi diligenti emendatione [5], optima quidem et acuta et splendida, Tulliana

tores optimum judicabant. Id se L. Crassus in illis Ciceronis de Oratore libris (*Or.*, I, 34) dicit factitasse. Id Cicero sua ipse persona frequentissime praecipit : quin etiam libros Platonis atque Xenophontis edidit hoc genere translatos. »

1. Cf. Quinct., X, 5, 3 : « Et manifesta est exercitationis hujusce ratio ».

2. Cf. Cic., *de Or.*, III, 36, sqq. — Quinct., X, 5, 4 : « Figuras vero, quibus maxima ornatur oratio, multas ac varias excogitandi etiam necessitas quaedam est. »

3. Cf. Quinct., X, 5, 5 : « Nam neque semper est desperandum aliquid illis, quae dicta sunt, melius posse reperiri; neque adeo jejunam et pauperem natura eloquentiam fecit ut una de re bene dici nisi semel non possit. »

4. Cf. ibid., X, 5, 8 : « Non enim scripta lectione secura transcurrimus, sed tractamus singula et necessario introspicimus, et, quantum virtutis habeant, vel hoc ipso cognoscimus, quod non imitari possumus. »

5. Cf. *Epist.*, VII, 9, 3 : « Nihil offuerit quae legeris hactenus, ut rem argumentumque teneas, quasi aemulum scribere lectisque conferre, ac sedulo pensitare, quid tu, quid ille commodius. Magna gratulatio, si nonnulla tu, magnus pudor, si cuncta ille melius. Licebit interdum et notissima eligere et certare cum electis. Audax haec, non tamen improba, quia secreta contentio : quanquam multos videmus ejusmodi certamina sibi cum multa laude sumpsisse, quosque subsequi satis habebant, dum non desperant antecessisse. » (Hanc exercitationem commendat Cicero, *de Orat.*, I, 34. — Quinct., X, 5, 4 : « Sed et illa ex latinis conversio multum et ipsa contulerit.... Neque ego paraphrasim esse interpretationem tantum volo, sed circa eosdem sensus certamen atque aemulationem.... Nam neque semper est desperandum.... (Cf. supra.) — « Poteris et quae dixeris post oblivionem retractare, multa retinere, plura transire, alia interscribere, alia rescribere. Laboriosum istud et taedio plenum, sed difficultate, ipsa fructuosum, recalescere ex integro et resumere impetum fractum omissumque, postremo nova velut membra peracto corpori intexere nec tamen priora turbare. » (De emendatione, cf. Quinct., X, 4 : « Sequitur emendatio.... » « Optimum esse emendandi genus, si scripta in aliquod tempus reponantur, ut ad ea post intervallum velut nova atque aliena

quidem Fabianaque, saepissime proferens. Tantus enim Plinium magistrorum amor tenebat, tanta reverentia, ut horum opera omnino hauriret suaque candide postea haberet quod ab illis mutuaretur. Saepius igitur non semetipsius cogitationes, sed aut Tullii aut Fabii refert inconscius usurpatque. Nec aliter res evenit cum Fusco suadet (quanquam eum praesertim ad « studium orandi » sese vertere non ignorat) ut « non ideo semper pugnacem hunc et quasi bellatorium stilum » retineat : « Ut enim, inquit, terrae variis mutatisque seminibus, ita ingenia nostra nunc hac nunc illa meditatione recoluntur [1]. » Suadet et ut interdum « aut aliquem ex historia locum adprehendat », aut « epistolam diligentius scribat » (nam « et pressus sermo purusque ex epistolis petitur »), aut versibus indulgeat, non tamen « continuo et longo (carmine), (id enim perfici nisi in otio non potest), sed hoc arguto et brevi, quod apte quantaslibet occupationes curasque distinguit [2]. » Attamen hic non ita Quinctiliani currit in sententiam, ut qui non modo historicorum poetarumque lectionem [3] aliis scriptoribus (imprimis oratoribus) commendet, sed et historiae et poeseos exercitationem postulet. Hoc vero magis peculiare : nempe vel splendida oratione non contentus ad poeseos significandam utilitatem, versibus nonnullis (quorum mediocritati, tantum quid sibi propositi habeat auctor intuentes, ignoscimus) versus ad faciendos amicum stimulat.

redeamus, ne nobis scripta nostra tanquam recentes fetus blandiantur. » Optime quoque Gierig hunc Quinct. locum affert (X, 3, 6) : « Color quoque ille cogitationis, qui scribendi mora refrixit, recipit ex integro vires et velut repetito spatio sumit impetum ».)

1. Cf. Virg. *Georg.*, I, 82.

2. Addit : « Lusus vocantur, sed hi lusus non minorem interdum gloriam quam seria consequuntur.... Itaque summi oratores, summi etiam viri sic se aut exercebant aut delectabant, immo delectabant exercebantque.... Recipiunt (haec opuscula) amores, odia, iras, misericordiam, urbanitatem.... »

3. Cf. Quinct., X, 1 (27 sqq.; 31 sqq.).

Quo facto, hunc ecce finem, quodam sane pudore pulsus, epistolae imponit : « Habes plura etiam fortasse quam requirebas, unum tamen omisi; non enim dixi quae legenda arbitrarer [1] : quanquam dixi, cum dicerem quae scribenda. Tu memineris sui cujusque generis auctores diligenter eligere. Aiunt enim multum legendum esse, non multa [2]. » His autem nihil habes aut habere potes praestabilius.

At rerum praesertim usum ac periculum, optimum tanquam adolescentium, Romae quidem, ubi eloquentiae ac foro plurimi destinabantur, magistrum praedicat. Nempe « difficile est tenere quae acceperis, nisi exerceas [3] ». Alias hoc : « Nec me praeterit usum et esse et haberi optimum dicendi magistrum : video etiam multos parvos ingenio, litteris nullis, ut bene agerent agendo consecutos [4]. » Itaque non parvo desiderio antiquam hanc disciplinam, qua vigente omnes a majoribus natu « non auribus modo, verum etiam oculis » accipiebant « quae facienda mox ipsi ac per vices quasdam tradenda minoribus haberent [5] », prosequitur Plinius. Nec exemplis parcit. In castris enim de bello quondam docebantur adolescentuli, et a ducibus duces fieri, utpote qui « imperare parendo, duces agere, dum sequentur, adsuescerent [6] ». Ita in foro forensibus certaminibus assuescebant [7]; ita « honores petituri adsistebant curiae foribus et consilii publici spectatores ante, quam consortes, erant [8] ». Hic suum quisque patrem pro magistro habebat, aut, defuncto patre, maximum quemque et una vetustissimum, ut inde senatorium jus (nam huc praesertim in hac Nostri epistola tendit oratio) [9] bene cognoscerent eoque optime

1. Dicit P. VI, 29, 6 : « Proinde multum lege, scribe, meditare, ut possis, cum voles, dicere; dices, cum velle debebis ».

2. Cf. Seneca, *Epist. ad Lucil.*, II.

3. Cf. VIII, 14, 3. — 4. VI, 29, 4. — 5. VIII, 14, 4. — 6. VIII, 14, 5. — 7. Cf. Quinct., X, 5. — 8. *Epist.*, VIII, 14, 5.

9. Aristonem enim sententiam de quadam senatorii juris controversia rogat.

uterentur. Hoc autem, quod de senatorio jure dicit, latius profecto evagatur omnesque artes quasi complectitur, de quibus necesse est statim exerceas aut saltem exercentibus adsis, si vel aliquantulum te profecisse cupias. Nec immerito. Ut enim necesse est, quodam tempore, scholasticae gratia disciplinae domestica a disciplina umbratilique decedere, ita decet non diutius commentitae isti eloquentiae immorari et citius ad veram vitalemque aggredi disciplinam. Nempe quamadmodum oratores oportet altercationes (ut Taciti sententiam referam) quoque excipiant et jurgiis intersint et pugnare in praelio discant, ita omnes decet adolescentis e securis exercitationibus ad lubricas transire et sive ex suo sive ex alieno periculo, non modo imaginem, sed rerum etiam sinceram faciem sibi praestare. Quo magis certe illi, quibus in media luce reipublicae vivendum est, assuescant jam non reformidare homines, sibi nec nimium nec parum tribuere, suas denique vires non sinere diutius frustra dilabi et ipsa in juventute quasi senescere.

Quid inde recolligendum, ut speramus, jam constat. Nec incepti poenitet si a proposito non flexisse videmur. Nunc igitur, ad ea quae in principio dicebantur, revertamur est necesse. Non sunt profecto permulta quae Plinii in epistolis de puerorum institutione fusius tractent, nec in illis inquirendus est (ut apud alios quorum nomina neminem fugiunt) educationis quidam codex, si liceat verbo hoc uti superbiore. Pauca tamen inveniuntur (nulla quidem sine intentione) nunc huc et illuc sparsa, nunc eadem in epistola coacta, quibus sane apparet Plinium, integris in operibus si Tullio aut Fabio aemulari voluisset, eos longiore non fuisse secuturum intervallo. Haud igitur parvi intererat, nec, mea sententia, erat absonum, hominem hunc inspicere, ornatissimum scilicet et gravissimis occupatum officiis, natis quidem orbatum ipsum, amicorum liberis eorumque educationi ita incumbentem ut

diligenter optimos quosque praeceptores requireret ipsumque illud munus ultro susciperet, nedum rejiceret; ut maximam ad municipes in sua patria edocendos pecuniam praeberet, simul et bibliothecam; ut in ingenuorum alimenta nummos largiretur; ut in studiis adolescentes adjuvare consiliis aliquoties non dedignaretur. Haec tamen essent pauciora quam ut inter adolescentium magistros Plinium numeraremus, si maximam legentibus utilitatem ipsae non offerrent epistolae. Quanquam enim praeceptorum numero vique excellentem Quinctilianum, rhetorem nempe et publicum quoque professorem, et opus profitentem didacticum, magistrum discipulus, vel longius, provocare non valet Plinius ut qui forte privatimque, non voce ad pravitatem composita, rogantibus sententiam exprimat, hujus tamen epistolas, quae forsan de adolescentium educatione paulum (ne dicam, ut illis temporibus, parum), agant, haud multo minus utilitatis sive ad mentes, sive ad animos informandos quam Fabii opus afferre prope affirmaverim. Nonne enim multi, et illi quidem gravissimi, affirmant optimum esse, non scriptorem istum qui praecepta, vel optima, optimus ipse magister praeceptis cumulet, surdis eheu! auribus plerumque canens, illum autem cujus ex operibus nescio quid diffundatur, velut suavis odor penetrabilisque, quod una mentes informare et animos erigere vigeat. Quam quidem virtutem, ad instituendos pueros maxime idoneam, Plinii epistolis inesse, quantum in nobis est, nunc monstrabimus.

II

QUAE IN EPISTOLIS AD INGENIA INFORMANDA PERTINEANT

Cum litteras constet, alia inter commoda, imprimis hoc habere quo puerorum adolescentiumve in mentes omnia quae ad humanam indolem pertinent ita injiciant ut vere homines informare singulariter valeant, opera igitur illa evolvere et evolvendo laudare debemus quae litterarum ardore et amore, accensa ipsa, lectores pariter accendant. Qua re nihil est praestantius. Cujusdam enim operis ex lectione et tractatione qui fructum hunc percipit ut litterarum harum studio trahatur et quasi inflammetur, valde profecto ille se profecisse sciat. Plinii autem perlectis epistolis, nemo est, ni fallor, qui non proficiat, nec se multum profecisse fateatur. Ex his enim luce clarius apparet quanti pretii litteras esse judicet, quam acri obstinataque mente se totum tradat litteris, quo pertinaci impulsu vique ad litterarum curam cultumque suos (et inde una nos ipsos nostrosque) advocet et incitare valeat.

1

Quomodo litterarum reverentia studiumque excitetur.

Primum omnium nunc videamus quanta litterarum fuerit Plinio reverentia. Qui quidem cum ea semper fuit mente et curiosa cogitatione ut mortalis vitae terminos gloria extenderet, hanc tamen optatam immortalitatem, si omnibus vitae ex factis, praesertim e litteris atque e litterarum studio consequi nititur. De quo sane non dubitandum est : « Sed tanto magis hoc quidquid est temporis futilis et caduci, si non datur factis (nam horum materia in aliena manu), certe studiis proferamus, et quatenus nobis denegatur diu vivere, relinquamus aliquid quo nos vixisse testemur... Ἀγαθὴ δ' ἔρις cum invicem se mutuis exhortationibus amici ad amorem immortalitatis exacuunt [1]. » Nec non sibi constat cum, quinti libri octava in epistola, ex suo immortalitatis amore et cupidine initium trahit. Hanc ultro jactat, hanc homine dignissimam, homine praesertim « qui nullius sibi conscius culpae posteritatis memoriam non reformidet [2] ». Et historiam imprimis scribendo, inquit, tentare velit « si qua se quoque possit tollere humo [3] ». Nihil enim homini insignius, nihil beatius quam (Nostri ut verba iterum referam) « bonae mansuraeque famae praesumptione » perfrui « certumque posteritatis cum futura gloria [4] » vivere; nihil postremo humanius quam « dum suppetit vita, enitamur ut mors quam paucissima, quae abolere possit, inveniat [5] ».

1. III, 7, 15 — 2. V, 8, 2.
3. « Id enim voto meo sufficit, illud supra votum « victorque virum volitare per ora ». » V, 8, 3.
4. Cf. IX, 3.
5. V, 5, 8. — Cf. I, 3, 4 : « Effinge aliquid et exclude quod sit perpetuo tuum. Nam reliqua rerum tuarum post te alium atque alium dominum

Quanquam igitur amplissimis honoribus perfunctus est magnisque muneribus, quanquam in oratorio decursu nonnulla sane posteritate non indigna aut dixit aut efficit quae ipse, quod infra videbimus, posteritati commendavit [1], litteris tamen litterarumque studio ita diligenter acriterque se dedit ut his solis veram sibi habendam gloriam judicasse videatur. Itaque vix dici potest quanto amore semper litteras sit amplexus quamque foverit constanter. De quibus, quanquam paucissima dicit, mirum est ut in scribendi genere subeat nescio quid grave concitatumve. Quid enim de poesi, nisi hoc, « religiosissime vereor [2] ». Nonne hos beatissimos putat « quibus Deorum munere datum est aut facere scribenda aut scribere legenda [3]? » Nonne in litteris quoque maximum ponit gaudium solatiumque? « Nihil, inquit, laetius, quod his laetius, tam triste quod non per has sit minus triste. Itaque et infirmitate uxoris et meorum periculo, quorumdam vero etiam morte turbatus, ad unicum doloris levamentum, studia confugi, quae praestant ut adversa magis intellegam, sed patientius feram [4]. » Nonne denique has quasi divinas veneratur ac talem inde reverentiam vel his vel etiam scriptis deberi existimat u « sumère ea nisi vacuo animo irreligiosum » candide existimet [5]? Sacerdotem dicas de religiosis disserentem.

Quo sane cultu (hac etiam aetate qua fere omnes ad litteras tanquam ad portum ultro confugiebant), omnino omnibus praestabat. Litteras enim multi inter jucundissimas res colloca-

sortientur; hoc nunquam tuum desinet esse, si semel coeperit. » — II, 10, 4 : « Habe ante oculos mortalitatem a qua adserere te hoc uno monimento potes ». Cf. IX, 14.

1. Cf. *de Plinii vita*, Mommsen; cujus opusculum in gallicum sermonem vertit Morel, Paris, Vieweg, 1873.

2. III, 15, 2. — 3. VI, 16, 3.

4. VIII, 19, 1. Nec opus est his conferre verba illa M. Tullii de Litteris, *pro Archia*, VII.

5. IX, 35, 1.

bant, inter gravissimas pauci [1]. Quas quidem Noster tanto habuit in respectu ut non multum abesset quin in his gloriam et salutem rei publicae esse positam judicaret [2]. Maximum igitur in studendo ardorem habet. Quotiescunque enim se multis molestisque negotiis adeo distringi queritur ut ne brevissimum quidem tempus litteris concedere sibi liceat? « Distringor officio, amicis deservio, studeo interdum, quod non interdum, sed solum semperque facere, non audeo dicere rectius, certe beatius erat [3]. » Haec saepissime, sive rusticus, sive urbanus. Quemadmodum enim nobis et strepitum et « inanem discursum » et multum « ineptos labores » derisui habet [4], ita rusticae vitae negotiis fatigatur. Sunt enim molesta importunaque, quorum causa animus saepe frangitur debilitaturque, urbanis etiam eo graviora quod ardentius rure cupit mens frui tranquillitate. Itaque Noster (licet fuerit in bonis agrisque gerendis diligens reique peritus) rusticorum querelis oppressus et agrorum locandorum necessitate et conductorum libellis multisque aliis, incommoda omnia haec a se amovere saepius gestit. His autem amotis et tempore, ut vel studiosissimis accidit, ad studendum vacuo, votis utique rus quietemque, id est sui possessionem et pinguissimum litteris otium prosequitur. Nempe non rus ipsum, sed rusticam studendi facultatem amat Romaeque desiderat : « O rectam sinceramque

1. Cf. *Dial. de Orat.*, quo nunc Aper eloquentiam, nunc Maternus poesim ad nubes invicem extollunt (V-XIV).

2. Cf. *Paneg. Traj.*, 47, quo ostendit quantum suo judicio ad publicos mores valeant eloquentia sapientiaque. « Cum sibi vitiorum omnium conscius princeps inimicas vitiis artes, non odio magis quam reverentia relegaret. » Et in *Epist.*, VIII, 9, 2, invenitur : « Nulla enim studia tanti ut amicitiae officium deseratur quod religiosissime custodiendum studia ipsa praecipiunt. »

3. VII, 15, 1. — Cf. I, 10, 9 : « Distringor officio, ut maximo, sic molestissimo... scribo plurimas, sed inlitteratissimas litteras. » — VIII, 9, 1 : « Olim non librum in manus, non stilum sumpsi.... »

4. I, 9, 7, sqq.

vitam, o dulce otium honestumque ac paene omni negotio pulchrius! O mare, o littus, verum secretumque Μουσεῖον, quam multa invenitis, quam multa dictatis [1]! » O beatissimam vitam (otium tamen modo ut « disponere » calleas) qua licet et jucundissimam habere domum et nunc terra nunc mari sese movere et « multum disputare, multum audire, multum lectitare, cumque plurimum scias, quotidie tamen aliquid addiscere [2] ». O jucundissimam vitam qua plurimum scribere, qua se studiis excolere commodum est [3], qua animo et corpore maxime valemus [4], qua denique una fieri potest ut veneris mediterisque et meditata, praecipua quidem et singularia, enotes. Etenim « mirum est ut animus agitatione motuque corporis excitetur. Jam undique silvae et solitudo ipsumque illud silentium quod venationi datur magna cogitationis incitamenta sunt [5] ». Concedo. Pauci tamen sunt qui, Plinii instar, nunc venabulo lanceaque, nunc stilo et pugillaribus, invicem uti perite scientes, ad apros capiendos (necnon et pulcherrimos) docti sint, nescio quid una ingeniosum meditantes scribentesque [6]. Quam multi contra aut scripta tantum componere aut venatum ire sibi gravius habent! Utraque enim res ardua est nec multis ambas (si alterutram), Dii concessere.

Utcumque se res habet, cum Plinius is sit qui nullo tempore, nullo loco a litteris sese avocet, proprio exemplo ad laborandum nos mire trahit. Ille enim studendi ardor in proximum quemque, et inde in lectores, evadit. Qui sane nos magis

1. I, 9, 6.
2. IV, 23, 1. — Cf, § 2 : « Ita senescere oportet virum qui magistratus amplissimos gesserit.... Quando mihi licebit, quando per aetatem honestum erit imitari... »
3. IV, 6, 2. — 4. V, 6, 45, — 5. I, 6, 2. — Cf. V, 6, 45.
6. Cf. I, 6, 1 : « Meditabar aliquid enotabamque, ut, si manus vacuas, plenas tamen ceras reportarem. » Quod idem facete dictum altera in epistola profert Plinius : « Venor aliquando, sed non sine pugillaribus, ut, quamvis nihil ceperim, nonnihil referam. » IX, 36, 6.

etiam incitabit si fuerit quaesitum quomodo ruri nostri vita se habeat [1]. Ad litteras enim hic omnia spectant; spectat ad laborem requies ipsa, qua modo fruitur ut novum animus recipiat adorem. Exercitationum varietate suam erigit mentem. Videant igitur nostri discipuli qua arte diem disponat et inde ipsi ne momentum quidem disperdere moneantur ; eum videant circa horam primam plerumque evigilantem atque tum in silentio tenebrisque (clausae enim fenestrae manent [2]), sibi totum nunc pauciora, nunc plura ad verbum cogitantem; videant, die admisso, notario cogitata dictantem, quem dimittit invicemque revocat, prout dictanda habet aut non; videant ad quartam vel quintam horam (neque enim, inquit, certum dimensumque tempus) e cubili exeuntem, in xystum aut cryptoposticum se conferentem, tunc reliqua meditantem dictantemque. Et si vehiculum ascendit hic quoque mehercule meditatur dictatque, sed alia quidem. « Durat intentio mutatione ipsa refecta [3]. » Nec vero credendum est Plinium, reliquo die, a studiis omnino temperare : affirmanti etiam non fidem habeamus. Nempe vel ambulans, vel caenans, vel venans, aut secreta utitur meditatione, aut quadam fruitur lectione, aut comoedo gaudet, aut variis suorum amicorumve sermonibus, interdum somno paululum recreatus, libero libentique animo indulget. Studiosi hujus vel otium studiosum est.

Haec, aestate et in Tuscis. Si nunc, ut a Nostro Fuscus [4], quid ex his, hieme et in Laurentino [5], permutetur, rogas,

1. IX, 36.
2. IX, 36, 2 : « Mire enim silentio et tenebris ab iis quae avocant abductus, et liber et mihi relictus, non oculos animo sed animum oculis sequor, qui eadem quae mens vident, quotiens non vident alia. »
3. Ibid., § 3. — 4. Cf. IX, 40.
5. Nempe Romae plinianam vitam ex epistola I, 9, non ignoramus. — Cf. I, 10 : « Nam distringor officio ut maximo sic molestissimo. Sedeo pro tribunali, subnoto libellos, conficio tabulas » etc., § 10. — Quinctiliani

ipsius verba mutuari respondenti liceat. « Nihil, nisi quod meridianus somnus eximitur multumque de nocte vel ante vel post diem sumitur, et si agendi necessitas instat, quae frequens hieme, non jam comoedo vel lyristae post caenam locus, sed illa quae dictavi identidem retractantur, ac simul memoriae frequenti emendatione proficitur [1]. » Si postremo quid veris vel autumni tempore agat audire velis, te paucissimis verbis docet noster : « ut nihil de die perdunt, ita de nocte parvulum acquirunt [2]. » Hunc tamen in studendo fervorem perpetuumque quasi impetum nemo est qui miretur. Nonne enim is est qui, ut studiis indulgeat Liviumque legere et excerpere possit, domo non excedere malit quam avunculum comitari nubem invisurum, cum magnitudine, tum specie inusitatam [3]; qui, quia otium vel brevissimum, despicit otiososque, studium autem impigrosque mirifice diligit, sui avunculi vitam exemplumque ante oculos usque habeat et ad hoc exemplar propriam suam conformare vitam nitatur [4]; qui villas inter plurimas duabus praecipue gaudens, harum alteram, saxis impositam, id est quasi cothurnis, tragoediam appellet, alteram, quae lacum tangit, quasi socculis sustentam, comoediam dicat [5]; qui quam maxime laetetur quod vigeant studia seque proferant « ingenia hominum » [6], quod nemo fere sit qui non una et studia et ipsum amet, quod nomen (Taciti cum nomine conjunctum), quasi litterarum (non hominis) proprium, litteris reddatur [7]; qui postremo, domi usque habens lectores notariosque, litteras litterarumque studium tanti putet ut Graecos, litteratissimos hos homines, « homines maxime homines » ac « liberos maxime

sententiam accipit Plinius : « Studendum vero semper et ubique. » — X, 7.

1. IX, 40, 2. — 2. Ibid., 3. — 3. Cf. VI, 16, 5; VI, 20, 5. — 4. III, 5. — 5. IX, 7, 3. — 6. I, 13, 1. — 7. Cf. VII, 20, 5; IX, 23, 3.

liberos » [1] appellet seque passim, dum aut Romae vacuum tempus deploret aut avunculo se conferat, desidiosum esse, etiam desidiosissimum judicet [2]; inde in dies ad studendum erecta mens.

Inde fit etiam ut amicos ad studendum incitare omni opera nunquam non contendat. Nempe parum est litteris studere, nisi studeant amici. Hos quidem primum stimulat quia operum judices emendatoresque sibi vindicat [3]; deinde quia non desistit cum litteras litterarumque studium supra nubes extollere, tum suorum operibus ardentissime favere. Hic (nonnulla ut afferam exempla) Caninio a Rufo petit ut « humiles et sordidas curas » aliis relinquat et in « alto pinguique secessu » se studio adserat quo effingere aliquid perpetuum possit [4]; illic eumdem, nuntiata Silii Italici morte, quanquam stimulis non egentem, vitam istam caducam hortatur ut studiis proferat, et relinquat aliquid quo se vixisse testetur [5]; hic quoque instantius precatur ut belli Dacici narret historiam, optima addens consilia et illud cum eo paciscentem, mittat « prima quaeque ut absolverit », quin etiam ante quam absolvat « sicut erunt recentia et rudia et adhuc similia nascentibus » [6]; illic denique eumdem stimulat ut, altissimo et plane poetico ingenio dignissimum, mirum hipponensis dauphini prodigium describat [7]. Quod si ad alios vertimur, nunc Fusco quaerenti quomodo in recessu se studere oporteat, epistolam (quis neget?) mittit utilissimam quae vitae quasi rationem describit [8]; nunc Atrio suo quod librum misit gratias agit seque quod nondum legit excusat, hanc reverentiam amicorum scriptis deberi affirmans ut nisi tranquillo animo ea non legas [9]. Amicos

1. VIII, 24, 2. — 2. I, 2, 3; I, 8, 2; III, 5, 19.
3. Cf., inter exempla, I, 2, 1; I, 8, 3; II, 5, 2; III, 10, 5; III, 13, 2; IV, 14, 4; IV, 26; V, 12, 4; VIII, 3, 3; IX, 18, 1; etc. De hoc citra plura dicemus.
4. I, 3, 3. — 5. III, 7, 14. — 6. VIII, 4, 6. — 7. IX, 33. — 8. Cf. supra. — 9. IX, 35, 1. — Cf. quoque III, 15, 1.

et ipse impellit aut ad opera edenda aut ad recitanda : « Ne desidiae nostrae, inquit, praetendamus alienam. Sunt qui audiant, sunt qui legant; nos modo aliquid dignum auribus, dignum chartis elaboremus [1]. » Quo igitur intento animo, qua callida arte Octavium, « durum ac paene crudelem qui tam insignes libros tam diu teneat » [2], hos ad lucem emittere negantem, ultro pungit. Negat ipse ei jus esse, opera domi retinenti, et sibi et aliis invidere, sibi maxima laude, aliis voluptate ; libros impedire quin « per ora hominum ferantur iisdemque quibus lingua romana spatiis pervagentur » [3]; hominum magnam et jam longam exspectationem frustrari semper et differre; mortalitatem denique, « a qua asserere se hoc uno monumento » potest [4], non statim effugere. Mox tamen, ut non edat, concedit, modo ut opus recitet. Et ut recitet, recitationis lenocinia jam ita summo colore illustrat ut futurae gloriae praesumptione quasi fruatur Octavius, dum audientium coronam concursumque repraesentat, et admirationem, et clamores, et silentium hoc denique clamore ipso jucundius, « sit modo silentium acre et intentum et cupidum ulteriora audiendi » [5]. Quis tam vehementer exhortanti possit repugnare? Quomodo aut Octavium aut Silium Proculum aut Arrium Antoninum aut Suetonium ipsum aut alios, quos sit longius enumerare, a Plinio tot laudibus affectos, ab operibus edendis aversantes approbemus [6]? Nempe quantum suo saeculo faveat noster nemo nescit quantumque cupiat ne sit « sterile et effetum », ne nobiles « nihil in domibus suis pulchrum nisi imagines habeant » [7]. Itaque solet omnes « venerari etiam mirarique » qui « aliquid in studiis faciunt » ut in re difficili arduaque [8]; itaque summo cum gaudio (quod mox videbimus) opera laudibus cumulat; itaque olim, recitatione finita, admi-

1. IV, 16, 3. — 2. II, 10, 1. — 3. Ibid., 2. — 4. Ibid., 4. — 5. Ibid., 7. — 6. Cf. II, 10; III, 15; IV, 18; V, 10; etc. — 7. V, 17, 6. — 8. VI, 17, 5.

ratione intimaque impulsus voluptate, Calpurnium Pisonem adolescentem, qui versus recitaverat (quo ingenio et compositos et recitatos ex epistola judices ipse [1]) non potuit quin « multum ac diu » exoscularetur laudibusque incitaret ut « pergeret quo coepisset lumenque quod sibi majores sui praetulissent posteris ipse praeferret » [2]. Nec minore gaudio alias Fuscum Salinatorem et Ummidium Quadratum, « summae spei, summae indolis juvenes » [3], ex diverso agentes exaudivit. « O diem laetum, inquit, notandumque mihi candidissimo calculo! Quid enim aut publice laetius quam clarissimos juvenes nomen et famam ex studiis petere aut mihi optatius quam me (hi enim Plinium velut rectorem magistrumque intuebantur) ad recta tendentibus quasi exemplar esse propositum? quod gaudium ut perpetuo capiam deos oro [4]. »

Cum autem summa indulgentia, nimia scilicet plerumque, erga amicos studiososque utatur, non ideo arguendus est tanquam hoc imprimis egerit ut sibi inde scriptores conciliaret, aut litterarum et studiosorum aliquod ambiret vel occuparet patrocinium. Saepius enim peccavit invitus, sive amicitiis, sive litteris ipsis et litteratis natura indulgens; aut, si conscius, quia, cum scribendi difficultates non ignoraret, inde id usque molitus est ut laudibus « qui est acerrimus stimulus monendi [5] », suos ad scribendum stimularet. Ultra modum tamen quosdam laudavit. Vide enim qua copia Minicium Acilianum Junio Maurico commendet, quantis oneret laudibus J. Avitum, quam argute et urbane Julium Nasonem, honores petentem, apud Fundanum adjuvet [6]. Quid ad Caninium Rufum scribit, nisi hoc : « Scio quem animum, quod horter ingenium. Tu modo enitere ut tibi ipse sis tanti, quanti videberis aliis, si tibi fueris [7]. » Nonne istud Octavio affirmat scilicet se hujus

1. V, 17, 2, sqq. — 2. Ibid., 4. — 3. VI, 11, 1. — 4. Ibid., 4, sqq. — 5. V. 17, 4. — 6. I, 14; VIII, 23; VI, 16. — 7. I, 3, 5.

versibus tantum corrumpi posse ut contra Boeticos causam agat? [1] Ullumne vidisti, non dico laudabiliorem, sed laudatum magis quam Pompeium Saturninum, nisi forsan Antoninum? Varium ille ingenium habet [2] et flexibile et multiplex ; audientes (audientem quidem Plinium) tenet, habet, possidet ; causas agit ardenter acriterque, polite ac ornate, sive meditata sive intemporalia proferens ; acutas crebrasque sententias, gravem et decoram constructionem, sonantia verba refert ; cuilibet veterum, quorum est aemulus, comparari possit ; idem in historia, in versibus, in epistolis valet : in historia enim virtutes omnes simul habet, qui brevitate, luce, suavitate, splendore, sublimitate narrandi praestet ; in versibus, aut Catulli aut Calvi memoriam revocat, tantum illis inserit leporis, dulcedinis, amaritudinis, amoris [3] ; in epistolis denique Plautinum sermonem aut Terentianum, metro solutum, esse credas. Hactenus de Saturnino ; quid de Antonino [4]? Hic ad severitatem pari jucunditate condiendam tantumque comitatis summae gravitati adjungendum optime viget ; huic loquenti « illa Homeri senis mella » profluere videntur ; quae scribit complent apes et innectunt floribus ; hujus versibus graecis tantum inest humanitatis venustatisque et dulcedinis et amoris ut Callimachum ipsum redoleant graecumque hominem existimes, attico quidem vel atticiorem, utque ipse Plinius latine exprimere et his aemulari tentet. Ceterum hos aemulans, tum maxime quam sint boni experitur. « Ut enim pictores pulchram absolutamque faciem raro nisi in pejus effingunt, ita ego ab hoc archetypo labor et decido [5]. » Eodem et laudum candore eodemque, ut ita dicam, effuso animo, cum ingenuus, tum

1. I, 7, 5. — 2. Cf. I, 16.
3. Addit Plinius : « inserit sane, sed data opera, mollibus levibusque duriusculos quosdam, et hoc quasi Catullus aut Calvus ! » (§ 5.)
4. Cf. IV, 3; IV, 18; V, 15; IX, 8. — 5. V, 15.

indefessus laudator, Titi Aristonis ingenium perinde ac indolem jactat [1]; ingenium quoque Voconii Romani laudat excelsum, subtile, dulce, facile, eruditum in causis agendis [2], et, nunc ejus epistolas, musis ab ipsis quasi scriptas, extollit, nunc comoedias quas liceat Plautinas inter Terentianasque numeremus [3]; Spurinnae senis lyrica doctissima miraque dulcedine ornata, mira suavitate, mira hilaritate, laudibus exornat [4]; Nonii Maximi opus et pulchrum, et validum et acre, et sublime et varium et elegans et purum et figuratum vel etiam spatiosum ulla sine modestia concelebrat [5]; Augurini denique poetae et Fannii et Passennii Pauli et multorum aliorum (quos enumerare odiosius esset) diversissima opera praedicat quae antiquis cum scriptoribus conferre non timet quibusque primas saepissime tribuit partes [6] : tantum, studiosus ipse, studiosis diligens amicus et immodicus fautor aderat. Eodem quoque modo, justius quidem, aut philosophum Euphratem Isaeumque rhetorem aut poetas, tunc praecipuos, Silium quippe Italicum Martialemque, admiratur. De Euphrate primi libri tota est decima epistola, de Isaeo secundi tertia : ille, inquit, platonicam sublimitatem et latitudinem effingit [7]; hujus tantae sunt in dicendo virtutes tantaque ars orationis ut « ἀφιλόκαλον, inlitteratum, iners, ac poene etiam turpe sit non putare tanti cognitionem, qua nulla est jucundior, nulla pulchrior, nulla denique humanior [8] ». Quod ad Valerium Martialem aut Silium Italicum refert, quanquam eos valde probans, in laudando temperantius agit; his enim de mortuis loquitur [9]. De Tacito quoque parcius : quia sane omnes intelligebat laudes, quantaecunque erant, talem dedecere virum. Ceterum hic et illic amicum laudavit, et optime quidem, brevissimis gravissimisque

1. I, 22, 2. 2. II, 13, 7. — 3. Ibid.; VI, 21, 4. — 4. III, 1. 7. 5. IV, 20, 2. — 6. IV, 27; V, 5; IX, 22. — 7. I, 10, 5. — 8. II, 3, 8. — 9. III, 21; IV, 7.

verbis [1], quem perinde ac magistrum diligit veneraturque, quem potissimum usque de difficilibus rebus consulit, cujus opera ita perfecta absolutaque et jam quasi immortalia ducit ut in his (quod sincero pectore fatetur) inseri se nomenque suum ardenter cupiat [2].

Constat tamen Plinium nimias mediocribus scriptoribus laudes concessisse. Ut scribentium ardorem stimulet, studiosis nimium favet indulgenter et tanquam lenocinatur. Quod profecto de oratoribus satis patet. Quanquam enim quorundam adolescentium centumviralibus in causis declamationes non aequo fert animo et eis illudit secum auditores irreverenter et temere conductos redemptosque agentibus ut colligatur ingens corona ac clamores commoveantur infiniti [3]; quanquam aut Reguli [4] aut nonnullorum [5] oratoriam facultatem libentius carpit, plerosque aequalium singulariter praedicat [6]. Quo fit ut nunc, omissa laudum vera et probabili causa, tantum suos laudavisse ut ipse rursus laudaretur, multis videatur.

Quidquid est, quae Plinio fuerit litterarum reverentia, quod studium, valde jam cognovimus. Cujus quidem tanta hac litterarum reverentia tantoque ardore nullus erat profecto, vel frigidissimus, qui non accenderetur, nullus qui urgentem amici vocem et quasi praedicantem non libenter acciperet. Nec hodie fieri potest quin nostri adolescentes, plinianorum amicorum instar, plinianis epistolis fere pari modo afficiantur. Plinius enim ad litterarum curam omnes ita alacri voce quasi ad jucundissimum et dulcissimum officium convocat, et vitae hujus litteris deditae, quae et animi remissionem et fructuosum otium et famam concedat permansuram, ita laetam proponit imaginem ut omnes omnia hæc ultro, ni

1. II, 1, 6; IV, 15, 1. — 2. Cf. de Tacito : I, 20; IV, 13; VII, 20; VIII, 7; IX, 30; VII, 33. — 3. II, 14, 7. — 4. IV, 7, 3. — 5. V, 20, 4, etc. — 6. II, 11; III, 9, 16 et 36; IV, 22, 2; VI, 11, 1; VI, 23, 3, etc.

fallor, sint exoptaturi et exoptata, ut fit, sibi repetere ac vindicare nisuri sint. Adde quod adolescentes, etiamsi ad studendum non ipsi sunt propensi, studiosos tamen, vel otiosi, reverentur et mox inde imitantur, nedum rideant; quod eos potissimum diligunt quos cujusdam rei amore omnino incensos esse sentiunt, jam et ipsi incensi. Quemadmodum enim ridentibus arridemus, ita, aliis ardentibus, nos una quadam contagione ardemus. Denique, cum sit gloriae cupido, litterarum praesidio acquisitae, quae adolescentes mire delectet et quasi titillet, omnibus ex causis accidit ut adolescentes, doctissimi viri cum juvenili ardore commoti, tum praeceptis exemploque moniti et inflammati, omni ope ad studendum non contendere non possint.

2

Quae ad ingenia alenda proficiant.

Quamvis Plinii epistolas cum Tullianis conferre non possis, quae non modo de Tullio ipso et vita et ejus amicis vel inimicis multa significent, verum etiam totius reipublicae ita imaginem exprimant ut temporis, quo fuerint scriptae, speculum esse videantur, in his tamen tam varia, tam diversa invenias ut, his perlectis, maximum sane fructum percipias.

In his enim mira varietas, quippe quae nunc publicarum privatarumque rerum praebeant narrationem, nunc villarum ac quorumdam locorum descriptionem oculis proponant, nunc de scriptoribus multa tradant, nunc virorum illustrium quasi lineamenta effingant, nunc, dum in animi effusionem vel in indignatiunculam scriptor cadit, aut aliquid spirent elatum et sublime aut flebile aliquid et commotum. Quomodo igitur

epistolis illis puerorum adolescentiumve mens una non sollicitetur et informetur? Nonne ab his requirere est qui fuerint, Trajano imperante, romani mores quantumque ab antiqua severitate semoti; quid (parcius tamen) in imperatorum aula, in potentium domibus patronorumque sit actum ; quid in foro, quid in Curia praesertim tribunalique Centumvirorum? Nonne requirere licet quid ad litterarum studium pertineat; quid ad urbanam rusticamve vitam ; quid ad domesticos vel ad civiles mores? Quorum exemplis ita abundant epistolae ut omnes, si velis, ad testimonium vocare possis; quae adeo digna ut recolligerentur usque omnibus apparuerunt ut nemo apud recentiores plinianae aetatis res perscribere tentaverit quin ex Plinii epistolis plurimum hauserit. Nec diutius sane, cum de hoc omnes consentiant, immorari necesse est. Dicendum est tamen pueros adolescentesve, dum suos mores cum antiquis conferunt (et ad conferendum nunquam non proni sunt), hac rerum copia facile nutriri posse, nec eorum mentem, varietate illa quasi erectam, non posse una quasi vel sustentari vel refoveri.

Puerorum autem mentes ad informandas eo aptior est Plinius quo magis scrupulosam in componendo adhibuerit curam. Hic enim sermones non habemus, hinc illinc diffluentes quasi disjunctos et incompositos, epistolas autem strictius densiusque compositas, ad rem unam spectantes, dextra sinistrave non pervagantes, id est tenuissimas dissertationes, diligenter elaboratas comptasque. Ergo quod effecit, tum proprii decoris memor, tum posteros cogitans, puerorum una ad reverentiam, quae maxima esse debet, peropportune vergit. Ex his enim epistolis, quam maxime accuratis, in quibus rem unam ex industria tractavit, quas posterorum gratia scripsit et ad nostram institutionem, nec parvum, mea sententia, nec contemnendum exoritur commodum. Sermocinantem enim habere

(quod ad pueros) non magni profecto refert; magni vero interest disserentem habere qui, quemadmodum omittit quod non ad posteritatem spectare ipsi videtur, ita nihil relinquit quo nobis ad melius intelligendam epistolam prodesse possit[1]. Probandus est igitur quod uni argumento eadem haeret in epistola. Magno enim fructui hoc pueris est. Nempe cum lector adolescentulus nulla re aliena a proposito avertitur, cum eadem in materia ita insistit ut quasi suam habeat, quadam usque necessitate aliquid intelligit discitque, nec mentis vires, in nimia incassum tendentes, franguntur et tanquam corrumpuntur.

Ceterum, quanquam eadem in epistola eadem quoque in materia usque manet, ea tamen est cura ut semper priore ab epistola posterior quam maxime discrepet. De quo certior fies si quibusvis, delectu omisso, epistolis studueris. Quae eisdem de rebus agunt, alias ab aliis multa cum arte, et interjectis solertius intervallis, sejungit Noster.

Inde igitur fit ut omnia, rerum tamen non neglecto ordine a quo pendet varietas, et clariora et faciliora ad intelligendum revera appareant. Qua de re apertius judicabis si, relictis nunc quae ad mentem universam pertinent, ea videamus quae peculiariter hominem ad id informant ut in litteris sapiat et intelligat. Plurimum enim suppeditat Plinius unde alantur eorum ingenia qui litteris student. Nempe in epistolis (fatendum est) nihil aut fere nihil quod ad philosophiam aut ad physica aut ad artes (pingendi quippe et fingendi artes) pertinet.

Quod ad artes, unam habemus epistolam. Parum est profecto. Hanc igitur fere integram hic proferre non dedecet.

1. Nostri gratia amicis, non sane ignorantibus, hic aut praetoris (VI, 5, 5) aut consulis (II, 11, 5 et 19) nomen refert, illic, ut brevius dicam, romano de jure hoc notat : « Carent enim togae jure, quibus aqua et igni interdictum est. » (IV, 11, 3.)

Atque eo magis decet quod ex hac Plinius, licet in artificum operibus dijudicandis se « imperitum » et « tirunculum » esse fateatur, licet in villis aut construendis aut ornandis paulum pictoribus sculptoribusve concesserit (ut qui, locorum amoenitate non neglecta, omnia ad vitae commoditatem jucunditatemque verteret [1]), minime judicio de his artibus caruisse nec harum rudis fuisse existimator videatur. « Ex hereditate quae mihi obvenit emi proxime Corinthium signum, modicum quidem sed festivum et expressum, quantum ego sapio, qui fortasse in omni re, in hac certe perquam exiguum sapio : hoc tamen signum ego quoque intelligo. Est enim nudum, nec aut vitia, si qua sunt, celat, aut laudes parum ostentat : effingit senem stantem; ossa, musculi, nervi, venae, rugae etiam ut spirantis apparent, rari et cedentes capilli, lata frons, contracta facies, exile collum, pendent lacerti, papillae jacent, venter recessit. A tergo quoque eadem aetas, ut a tergo. Aes ipsum, quantum verus color indicat, vetus et antiquum. Talia denique omnia ut possint artificum oculos tenere, delectare imperitorum. Quod me quanquam tirunculum sollicitavit ad emendum [2]. » Nos certe poenitet quod non plures hujuscemodi epistolas scripserit. Talibus enim epistolis pauca magis ad movendum acuendumve judicium idonea esse possint. Nempe signum hoc tanta arte depinxit expressitque Plinius ut nemo sit certe qui ante oculos revera perspicuum non habeat. Nec vero deerunt discipuli qui, epistolam illam seu domi seu in schola perlegendo, signum hoc calamo repraesentare et effingere sint conaturi.

Haec de signo Corinthio. Quid in epistolis de physicorum scientia? Pauciora quidem. Avunculi opera, ut a se aliena, ex industria reliquit Plinius nec scientiae illius studio unquam

1. Cf. II, 17; IX, 7. — 2. III, 6.

fuit incensus. Litteras enim ante oculos semper habuit et ita semper adamavit ut jam adolescens, vel vivente avunculo, naturales ipse deseruerit quaestiones. Scimus enim eum, quadam die, ne miro quidem prodigio a litterarum studio fuisse avocatum. Domi manet, dum exit avunculus ut « magnum propiusque noscendum » prodigium perspiciat [1]. Non igitur mirandum est si de quaestionibus naturalibus nihil, nihil saltem avunculo dignum, in epistolis invenimus. Nam quod ad delphinum hipponensen [2] aut ad Vadimonem lacum [3] refert, poetica modo describendi facultas in hoc probari potest ; quod ad fontem illum [4], quem natura singularem tam fusè describit, ex hoc profecto quam sit rerum naturalium scientia leviter imbutus luce clarius videre est. Ceterum rem ipse fatetur : « Scrutare tu causas (potes enim) quae tantum miraculum efficiunt. Mihi abunde est, si satis expressi quod efficitur [5]. » Rei tantum egregie descriptae sibi laudem vindicat. Lectores enim hic delectare tantum cupit. Nobis autem, cum delectare una et docere potuisset facile, eum ab his quaestionibus sese consulto avertisse desiderandum est.

Ut physica, sic philosophiam (quod infra videbimus) deserit. Nullo enim modo philosophum agit. Litterarium igitur totum opus est. Nec ullum est profecto quod ad hanc exsuscitandam rerum, quae ad litteras spectant, facultatem (quae, nisi princeps maxima certe educationis pars est) magis sit idoneum. Nempe hic magistrum nec tristem, nec morosum, nec asperum, imo minime gravem, habemus ut qui ex cathedra loquatur ; laetum autem et alacrem mitemque invenimus, urbanum denique, amicum cum amico disserentem. Non igitur, sicut apud Quinctilianum, de praeceptis dandis et tanquam imponendis hic agitur ; cum amicis sua communicat amicus. Unde

1. Cf. VI, 16, 5. — 2. IX, 33. — 3. VIII, 20. — 4. IV, 30. — 5. Ibid., 11.

fit ut nos quoque, dum dando hic, accipiendo illi socialiter gaudent, eadem omnino fruamur voluptate. Plinio igitur magistro, lepidissimo quidem et jucundissimo, discipuli nos quoque utimur. Quae amicis accipienda dicit, non inviti accipimus. Ut enim a magistro suam scientiam professo deflectere solemus, ita ad eum, quem ne docere quidem sentire licet, nos libenter, imo gaudentes convertere solemus.

Poeseos imprimis ad amorem, quid dico? ad tractationem nos vocat. Quis enim poeticam suam facultatem experiri negaret, cum toties ipse non negaverit Plinius? Cum tentaverint, Plinio auctore, et Marcus Tullius et C. Calvus et Asinius Pollio et Q. Hortensius et M. Brutus et multi alii quorum nomina effuso profert animo [1]. Quis non gauderet, nostri instar, oblectationis sibi parandae gratia, hinc illinc sive in vehiculo sive in balineo, necnon et inter coenam, versiculos componere? Quis tali plinianae voluptatis descriptione non alliceretur : « His jocamur, ludimus, amamus, dolemus, querimur, irascimur, describimus aliquid modo pressius modo elatius, atque ipsa varietate tentamus efficere ut alia aliis, quaedam fortasse omnibus placeant [2]. » Quis, quatordecim etiam annos tantum natus, Plinii exemplo, ad tragoediam (nec, fatente ipso, optimam) jure non incitaretur [3]? Quis aut in elegis aut in heroicis versibus aut in hendecasyllabis, quid posset non periclitaretur [4]? Quem ad componendum edendumque « hendecasyllaborum volumen » non permoverent Plinii haec : « Legitur, describitur, cantatur etiam, et a Graecis quoque, quos latine hujus libelli amor docuit, nunc cithara nunc lyra personatur [5]. » Quem denique, futurum praesertim oratorem, poetico

1. V, 3, 5. — 2. IV, 14, 3. — 3. VII, 4, 2.
4. Cf. VII, 4; qua in epistola suae poeticae facultatis quasi curriculum posteris narrat.
5. VII, 4, 9.

a cultu alienum esse pateremur, cum « summi oratores, summi etiam viri sic se aut exercebant aut delectabant, immo delectabant exercebantque [1] ». Acriter igitur ad poesim se conferant adolescentes neque ab illa, ne Plinii quidem versibus deterriti (quos minime optimos esse nemo non fatetur), sese averti sinant. Versus enim, vel pessimos, fecisse (*facere* ne dicam) nemini fuit supervacuum : hac tamen lege ut poeta, nimius sui existimator, versus suos caeca mente non diligat omniaque tirocinia sua, inani spe inflatus, in lucem proferre non gaudeat. Nulla vero aetas est quae sibi non assentetur; quod profecto vitium non cavebunt adolescentes. Versus tamen, vel mediocres, effingant. Hos enim effingentes, cum poetas vehementer amare, tum poesim carminaque callidius intelligere (quod optimum est) valde consuescent.

Nec ad poesim modo, sed etiam ad historiam, tum noscendam, tum tractandam, pari modo (vel forsan vehementius) adolescentes hortatur Plinius; tanta est reverentia. De hac autem non pariter ac de poesi judicat. Poesim nempe jucundam animi remissionem esse ducit, quae quidem patroni vel otiantis mentem occupet, vel non otiantis relaxet; historia vero est quam, nisi libera mente, nisi longum in tempus adire possis. Hujus igitur auctoritatem gravitatemque plurimi facit; hujus « quanta potestas, quanta dignitas, quanta majestas, quantum denique numen sit [2] » ostendere et illustrare gestit. « Recitaverat quidam verissimum librum partemque ejus in alium diem reservaverat. Ecce amici cujusdam orantes obsecrantesque ne reliqua recitaret. Tantus audiendi quae fecerint pudor quibus nullus faciendi quae audire erubescunt [3]. » Attamen, Titinio Capitone et multis aliis suadentibus, historiam

1. VII, 9, 12. « Nam mirum est ut his opusculis animus intendatur, remittatur. »
2. IX, 27, 1. — 3. Ibid., 2.

scribere recusat. Quanquam vehementer cupit, quanquam ardentissime ad historiam scribendam intima vi se incitari sentit, cui pulcherrimum omnino videatur « non pati occidere quibus aeternitas debeatur aliorumque famam cum sua extendere[1] », quanquam « nihil aeque ac diuturnitatis amor et cupido sollicitat, res homine dignissima, eo praesertim qui nullius sibi conscius culpae posteritatis memoriam non reformidet; quanquam « diebus ac noctibus » cogitat « si qua se quoque possit tollere humo[2] »; quanquam gloriam hanc quam quaerere gestit « prope sola historia polliceri videtur[3] », quae quoquo modo scripta delectet (« Sunt enim homines natura curiosi et quamlibet nuda rerum cognitione capiuntur, ut qui sermunculis etiam fabellisque ducantur[4] »), scribenda tamen ab historia duabus ex causis aversatur. Quarum altera ex materiae eligendae difficultate pendet : « Tu tamen jam nunc cogita quae potissimum tempora aggrediar. Vetera et scripta aliis? parata inquisitio, sed onerosa collatio; intacta et nova? graves offensae, levis gratia. Nam praeter id quod in tantis vitiis hominum plura culpanda sunt quam laudanda, tum, si laudaveris, parcus, si culpaveris, nimius fuisse dicaris; quamvis illud plenissime, hoc restrictissime feceris[5]. » Altera autem in rei gravitate tota est. Nempe cum multas magnasque agit causas, cum actas non parvo labore, nec mediocri diligentia retractat

1. V, 8, 1. — Ceterum, nonne hoc erat historicum opus, de quo sic dicit, IX, 13, 2 : « Occiso Domitiano statui mecum ac deliberavi esse magnam pulchramque materiam insectandi nocentes, miseros vindicandi, se proferendi. »

2. « Id enim, inquit, voto meo sufficit, illud supra votum « victorque virum volitare per ora ». V, 8, 3.

3. Orationi enim et carmini parva gratia, nisi eloquentia est summa. Ibid., 4.

4. Ibid., 4. Haec addit : « Me vero ad hoc studium impellit domesticum quoque exemplum. Avunculus meus idemque per adoptionem pater historias et quidem religiosissime scripsit. »

5. Ibid., 12.

rescribitque [1], actiones una agere et scribere et historiam componere non pro viribus esse judicat : nempe « utrumque, inquit, tam magnum est ut abunde sit alterum efficere [2] ». Quid igitur eloquentiae historiaeque debeat, minime ignorat. Nec ignorat orationem et historiam, si multa communia, plura etiam diversa habere [3]; unde timor quidam. « Ex his causis non adducor ut duo dissimilia et hoc ipso diversa quod maxima confundam misceamque, ne tanta quasi colluvione turbatus ibi faciam quod hic debeo [4]. »

Quae cum sentiat de historia Plinius facile intelligere est quam Quinctiliani magistri a sententia longe absit. Cum enim a magistro multa, quae huic de oratoria narratione dicta sunt [5], mutuetur, historica tamen de narratione, quam « tori et jubae » decent, quae « tractu et suavitate atque etiam dulcedine placet » [6], peculiare saepius expromit judicium. Nec tantum in genere dicendi adhibendo cum Quinctiliano dissentit. Quid enim de historia alias scripserit Quinctilianus cerne : « Est proxima poetis, et quodammodo carmen solutum; et scribitur ad narrandum, non ad probandum; totumque opus non ad actum rei pugnamque praesentem, sed ad memoriam posteritatis et ingenii famam componitur, ideoque et verbis remotioribus et liberioribus figuris narrandi taedium evitat [7]. » Quam aliter apud Plinium res se habeat, satis manifestum est: quippe qui historiam ad probandum et quasi ad pugnam praesentem compositam, ni fallor, existimet, qui eam non modo legendam, verum etiam affirmet scribendam, qui gravissimum

1. « Nam si rationem posteritatis habeas, quidquid non est peractum, pro non inchoato est. » Ibid., 7.

2. Ibid., 8. « Unodevicensimo aetatis anno dicere in foro coepi, et nunc demum quid praestare debeat orator, adhuc tamem per caliginem video. »

3. Ibid., 9 et 10. — 4. Ibid., 11.

5. Cf. *Inst. orat.*, IV, 2, passim.

6. *Epist.*, V, 8, 10.

7. Cf. *Instit. orat.*, X, 1, 31.

per se opus esse et una jucundissimum adeo judicet ut nullo modo verborum et sententiarum splendore egere affirmet. Nempe ea nihil est magis idoneum ad informandos mores; quae ubique, quasi divinae justitiae partes suscipiens, recentium judicia vel corroborans vel infirmans, hujus gloriam, illius infamiam in posteritatem et ad ultimum fere tempus omnino comprobat. Qua sane nihil insignius graviusque exsistere potest, nihil quod verborum et sententiarum splendore minus egeat.

Dicendum est tamen Tacitum, scriptorem illum gravissimum, quanquam de historiae fine non diversam sententiam habuit, cum Quinctiliano potius quam cum Plinio de dicendi genere consensisse. Poetis enim proximam habet orationem. Ceterum, quod ad Plinium pertinet, dubitandum est quin prolatas a se leges de historia, historicum librum si composuisset, diligentissime in scribendo observavisset. Quod, ni fallor, satis indicat epistola (VIII, 4) qua, amico Caninio suadens ut Dacicum bellum perscribat, genus oratorium quasi ipse praesumit et poeticis verbis non abhorret : « Dices immissa terris nova flumina, novos pontes fluminibus injectos, insessa castris montium abrupta, pulsum regia, pulsum etiam vita regem nihil desperantem; super haec, actos bis triumphos, quorum alter ex invicta gente primus, alter novissimus fuit... Proinde jure vatum invocatis Dis, et inter eos ipso cujus res opera consilia dicturus es, immitte rudentes, pande vela, ac si quando alias, toto ingenio vehere. Cur enim non ego quoque poetice cum poeta? [1] » Frustra nempe naturale ingenium effugere contendis : quod quidem subito, te etiam invito, rursus apparet et tanquam revirescit. Cum nos Plinius historicum ad genus hoc, non splendidum certe nec reconditum, purum autem et subtile pressumque arcessit, ipse ornato

1. VIII, 4, 2 et 5.

poeticoque libenter utitur. De quo sane juveniles lectores, si quis alius, nullo modo querentur. Hoc est dicendi genus quod, cum nescio quid adolescentulum redoleat, adolescentibus mire profecto non placere non possit.

At de historia hactenus; nunc ad eloquentiam vertamur. De qua, quamvis nihil (aut fere nihil) peculiare praebeat legentibus, ita copiosa passim scriptitat ut quid senserit, orator et ipse praecipuus, operae pretium sit requirere. Nec deficiunt sane quae hodierni discipuli, vel omnes vel hi potissimum qui se jam ad eloquentiam applicant, in usum suum commodumque facile ipsi convertere possint. Nempe in epistolis si paulula tantum (ut scimus) de oratoria institutione, sive ad futurorum oratorum domesticam doctrinam, sive ad eorum scholasticas exercitationes pertinentia reperimus,multa tamen sunt, nec contemnenda quidem,quae ad oratoriam facultatem aut acuendam aut augendam minime in irritum cadunt. Haec enim si quis in unum recolligat, opusculum quidem habeas nec putidum nec otiosum, sed leporis sapientiaeque plenum, ut quod Tulliana Fabianave doctrina sit imbutum.

Ac primum omnium animadvertendum est quanta reverentia eloquentiam patronique officium amplectatur. Nullum, magistri instar, nisi bonum, dicendi peritum judicat. Hic enim Nigrinum, tribunum plebis, laudat quod libellum recitavit « disertum et gravem, quo questus est venire advocationes, venire etiam praevaricationes, in lites coire, et gloriae loco poni ex spoliis civium magnos et statos reditus » [1], sibique ipse gratulatur quod semper causis in agendis quolibet abstinuit dono [2]; illic quasdam agere causas, probitatis retinendae causa, aut suscipit aut suscipere recusat [3]; alias denique Thraseam praecipere solitum refert (Avidio Quieto auctore)

1. V, 13, 6. — 2. Ibid., 9. — 3. I, 7; IV, 15; VI, 18, etc.

praesertim suscipiendas esse « causas aut amicorum aut destitutas aut ad exemplum pertinentes »[1], quod multum approbat. Optimum enim addit commentarium : « Cur amicorum, non eget interpretatione; cur destitutas? quod in illis maxime et constantia agentis et humanitas cerneretur; cur pertinentes ad exemplum? quia plurimum referret bonum an malum induceretur[2]. » Nec ullo modo honestissimam hanc de patroni officiis sententiam hoc infirmat quod alias causas, claras scilicet illustresque, commendat Noster. « Aequum est enim, inquit, agere nonnunquam gloriae et famae, id est suam causam[3]. » Quis autem ignorat eum, cum in causis agendis, tum in rejiciendis, ita semper elaboravisse ut ipsius gloria famaque et cum communi utilitate et cum honestioris causae tutela omnino consentiret?

Scire igitur magni interest quid vir ille, quo nullus muneris sui aut amantior aut observantior fuit, de eloquentiae genere adhibendo existimet. Nempe, ni fallor, perspicuum est Plinium, quanquam saepius suos aequales laudat ut ad laborem stimulet laudandoque (laudes appetere humanius est) ipse rursus laudetur, saeculi sui eloquentia non esse contentum[4]. Ne tamen eum existimes, Taciti instar, eloquentiae corruptelam adeo sensisse ut vel causas vel remedia requireret. Res aliter se habet. Non est qui illam vere eloquentiam non jam esse aut intelligat aut revera suspicetur. Quam sane, etiamsi jam depressam esse intellexisset, novo splendore per se (et una per Tacitum) effulgentem judicavisset. Tullianam autem orationem, copiosam scilicet ornatamque vehementer desiderat et, ut eum decet qui cum Marco Tullio aemuletur, desiderare non desinit. Itaque in dicendo brevitatem, qua aequales fere omnes utuntur, omnino respuit, ut qui eloquentiam

1. VI, 29, 1. — 2. Ibid., 2. — 3. Ibid., 3.
4. Cf. Morillot, *De Plinii Minoris Eloquentia*. Paris, 1888, cap. III.

demissam, plerumque fractam, exilem, concisam, vix unquam gravitati parem non pati possit. Ergo, si brevitatem, causa permittente, custodiendam esse (ut verba ejus usurpem) confitetur, « alioqui praevaricatio est transire dicenda, praevaricatio etiam cursim et breviter attingere quae sint inculcanda, infigenda, repetenda [1] ». Nec hic in judicio errat. Quod quidem multorum, Marci Tullii praesertim, auctoritate exemploque confirmat, necnon et suimetipsius. « Adjiciam quod me docuit usus, magister egregius. Frequenter egi, frequenter judicavi, frequenter in consilio fui : aliud alios movet, ac plerumque parvae res maximas trahunt [2]. » Copiosas igitur amat orationes, copiosis in agendo utitur, copiosas quoque, imo copiosiores edit [3]. « Et Hercule ut aliae bonae res ita bonus liber melior est quisque quo major. Vides ut statuas, signa, picturas, hominum denique multorumque animalium formas, arborum etiam, si modo sint decorae, nihil magis quam amplitudo commendet. Idem orationibus evenit, quin etiam voluminibus ipsis auctoritatem quamdam et pulchritudinem adjicit magnitudo [4]. » Et infra merito haec addit : « Nam delectare, persuadere, copiam dicendi spatiumque desiderat, relinquere vero aculeum in audientium animis is demum potest qui non pungit, sed infigit... Non enim amputata oratio et abscisa sed lata et magnifica et excelsa tonat, fulgurat, omnia denique perturbat ac miscet. Optimus tamen modus est. Quis negat? sed non minus non servat modum qui infra rem quam qui supra, qui adstrictius quam qui effusius dicit [5]. » Nihil enim magis actioni nocet quam intempestiva brevitas et obscura. Itaque Plinius, cum sibi plus temporis quam solito ad agendum

1. I, 20, 2. — 2. Ibid., 30.
3. Cf. IX, 4; IV, 5, 4. — Cf. IX, 13, 23 : « Postea actionem meam, utcumque potui, recollegi, addidi multa. » Cf. IX, 28, 5.
4. I, 20, 4 et 5. — 5. Ibid., 19, sqq.

conceditur, gaudio exsultat [1], magna vero indignatione plerumque paucissimas sibi clepsydras concedi narrat. Qua de re ita etiam indignatur ut Regulum ipsum, Regulum, inquam (cum nequissimum civem, tum audacissimum hominen qui impudentia tantum ipsoque in agendo furore pervenerit ut orator haberetur) [2], nunc « in judiciis quaerere » (nolit enim dicere, desiderare ») nonnunquam soleat, quod in agendo « libera tempora peteret » nec orationem minore temporis spatio quasi strangulari pateretur. « Postquam autem obiit ille, increbuit passim et invaluit consuetudo binas vel singulas clepsydras, interdum etiam dimidias et dandi et petendi [3]. » Itaque et patronis qui « egisse malunt quam agere » et judicibus qui « finire quam judicare » malunt mire succenset [4]. « Etenim temerarium, inquit, existimo divinare quam spatiosa sit causa inaudita tempusque negotio finire cujus modum ignores, praesertim cum primam religioni suae judex patientiam debeat, quae pars magna justitiae est [5]. » Aptae igitur et actioni convenientis oratoriae ubertatis partes acriter suscipit. Ejus tamen non ita causam defendit ut aut facundiam volubilitatemque pro copia illa laudabili ipse accipiat [6] aut tacere (cum necesse est, a dicendo abstinere doctus) « non minus

1. Cf. II, 11, 14 : « Dixi horis poene quinque. Nam duodecim clepsydris quas spatiosissimas acceperam sunt additae quatuor. »

2. Cf. IV, 7, 4 : « Imbecillum latus, os confusum, haesitans lingua, tardissima inventio, memoria nulla, nihil denique praeter ingenium insanum ; et tamen eo impudentia... Itaque Herennius Senecio mirifice Catonis illud de oratore in hunc e contrario vertit : « orator est vir malus dicendi imperitus. »

3. VI, 2, 5.

4. Ibid. « Tanta negligentia, tanta desidia, tanta denique inreverentia studiorum periculorumque est. »

5. Ibid., 8.

6. Cf. V, 20, 4 : « Est plerisque Graecorum, ut illi, pro copia volubilitas : tam longas tamque frigidas periodos uno spiritu quasi torrente contorquent. Itaque Julius Candidus non invenuste solet dicere aliud esse eloquentiam, aliud loquentiam. »

interdum oratorium esse quam dicere »[1] non confiteatur. — Quibus de omnibus rebus nos profecto, nulla adhibita correctione, ei gratularemur si copiam illam, cujus tuendae causa suos carpit lacessitque aequales, minus ex oratorum ludis quam ex philosophorum officinis posse trahi aperte declararet.

Grandem vero et ornatam orationem non segnius expostulat. Quod sane omnes epistolae ex illa (IX, 26), in qua de dicendi genere propriam sententiam fusius exponit, nullo modo nesciunt. Nec ullum, vel adolescentulum, legentem fugit quanta ratiocinandi vi jus sibi oratorique vindicet humilius depressiusque iter relinquendi. « Debet enim orator erigi, attolli, interdum etiam effervescere, efferri, ac saepe accedere ad praeceps... Nam ut quasdam artes ita eloquentiam nihil magis quam ancipitia commendant. Vides qui per funem in summa nituntur quantos soleant excitare clamores, cum jam jamque casuri videntur. Sunt enim maxime mirabilia quae maxime insperata, maxime periculosa, utque Graeci magis exprimunt, παράβολα [2]. » Quam sententiam optimis firmat exemplis : ad Homerum enim et ad Demosthenem et ad Aeschinem confugit. Nec injuria. At his in rebus diutius immorari non necesse est, cum nemo cum Plinio hic dissideat. Hoc unum tamen deplorandum est quod in Panegyrico dicendi illud genus non amplius adhibuit. Utinam enim de eo, quae de alia oratione scriberet, scribere potuisset, scilicet : « Sunt multa (non auderem nisi tibi dicere) elata, multa pugnacia, multa subtilia... Dedimus vela indignationi, dedimus irae, dedimus

1. VII, 6. 7. Hac in epistola propriis exemplis ostendit quam ipse « quibusdam capitis reis vel magis silentio quam oratione accuratissima » profuerit.

2. IX, 26, 2 et sqq. Addit : « Ideo nequaquam par gubernatoris est virtus, cum placido et cum turbato mari vehitur : tunc admirante nullo inlaudatus inglorìosus subit portum; at cum stridunt funes, curvatur arbor, gubernacula gemunt, tunc ille clarus et Dis maris proximus. »

dolori, et in amplissima causa quasi magno mari, pluribus ventis sumus vecti [1]. » Hanc igitur, magnam licet, « gratiam brevissimae impetraturam [2] » non desperat, ut quae plurimum valeat « et copia rerum et arguta divisione et narratiunculis pluribus et eloquendi varietate [3] ».

Etenim varietatem etiam ipse in oratione appetit. « Invenire praeclare, enuntiare magnifice interdum etiam barbari solent; disponere apte, figurare varie nisi eruditis negatum est [4]. » Periti oratoris esse negat elata semper et excelsa affectare. Quemadmodum enim in pictura lumen « umbra praesertim commendatur, ita in oratione tam summittere quam attollere decet ». Eamdem igitur servat rationem qua in hendecasyllabis utebatur : « His jocamur, ludimus, amamus, dolemus, querimur, irascimur, describimus aliquid modo pressius, modo elatius, atque ipsa varietate tentamus efficere ut alia aliis, quaedam fortasse omnibus placeant [5] ».

Quae quidem de eloquentia praecepta quantam utilitatem secum trahant, satis constat. Quae, si omnibus non probantur, omnium tamen ad alenda ingenia plurimum valent. Omnes enim adolescentes, quia comprehensam quamdam animo perfecti oratoris speciem habent et hujus quasi imaginem adumbratam mente concipiunt, suam inde de eloquentia sententiam cum Plinii sententia conferentes, ex hoc sane ad acuendum ingenium non nihil trahunt. Quod quidem multum sane informare poterunt si de pulcherrimis hominum occupationibus paululum egerint disputaverintque, et in posterum, vel a pueritia, sive imitanda, sive effugienda aperte intellexerint. Nunquam enim citius adolescentes de patroni officio ac munere, quod, quanquam inter liberalissima, saepissime in pejus et in pejores cadit, maximam sibi inde existimationem concipere assuescent.

1. VI, 33, 10. — 2. Ibid., 7. — 3. Ibid., 8. — 4. III, 13, 3 — 5. IV, 14, 3.

Majorem tamen fructum fortasse percipient plinianarum epistolarum lectores ex hac diligentia, ex hac mentis intentione, ex hac posteritatis suique cura qua in operibus et in opusculis etiam (sive oratoriis sive poeticis) emendandis utitur Noster. His enim summam usque manum imponit. Quod profecto nimium est; non est tamen contemnendum. Sit potius, si modum serves, imitandum. Utinam quidem omni aetate oratores scriptoresque in sua opera, si vel non pariter desudent elaborentque, eodem tamen studio incumbant! Nam neque tempus, neque res, neque homines Plinio obstant. Amicos, ut operum judices emendatoresque, animo laetanti accipit et ipse postulat. Quorum « limam », ut ait, « intendere [1] » contendit; quos precatur ut sibi sententiam libero animo expromant notentque quae putaverint corrigenda [2]; quorum judicium non modo de operis « universitate », verum etiam de « particulis » verbisque reposcit [3]; quibus denique exponit quid in oratione dijudicanda (ultro properans suis occursare censoribus [4]) potissimum spectari cupiat : nihil enim imperfectum vult relinquere. Itaque est « in edendo haesitator [5] », ut qui vel levissimas metuat culpas. Primum igitur secum, quae scripsit, ipse pertractat; deinde duobus aut tribus legit; mox aliis tradit adnotanda notasque eorum, si dubitat, cum uno rursus aut altero pensitat; pluribus denique recitat ut inde sese diligentius etiam emendet [6]. Orationes enim, orationes, inquam, amicis recitare solet, quem tamen non fugiat « actiones quae recitantur impetum omnem caloremque ac prope nomen suum perdere, ut quas soleant commendare simul et accendere judicum consessus, celebritas

1. I, 2, 5.
2. I, 2; I, 8, 3; II, 5, 2; III, 10, 5; III, 13, 5; III, 18, 9; IV, 8, 23; IV, 14, 10; IV, 26, 1; V, 12, 4; VIII, 3; IX, 18.
3. I, 8, 3; V, 12, 4. — 4. II, 5, 5; IX, 26, 6 et sqq. — 5. V, 10, 2. — 6. VII, 17, 7.

advocatorum, exspectatio eventus, fama non unius actoris, diductumque in partes audientium studium, ad hoc dicentis gestus, incessus, discursus etiam, omnibusque motibus animi consentaneus vigor corporis [1] ». Recitat tamen, tum etiam quia ex auditorum reverentia plus curae orationi adhibetur, quia quoque ex his certum incertis de rebus judicium ducit : « Multa etiam a multis admonetur [2], et si non admoneatur, quid quisque sentiat perspicit ex vultu, oculis, nutu, manu, murmure, silentio ; quae satis apertis notis » (quantum sibi ipse fucum facere quaerat Noster, satis patet) « judicium ab humanitate discernunt [3] ». Nec aliis in epistolis diversa habemus. Recitat Plinius quia nullum omittit « sui emendandi genus », quia, ut dicit, hoc quod se recitaturum cogitat, emendat; quod auditorium ingreditur, emendat; quod pallet, horrescit circumspicitque, emendat [4]. Nec modo electa, sed omnia, ut omnia emendet, recitat [5]. Quamquam enim aliquoties audientes fallere potest recitatio, non est quae « aculeos judicii » (si « hebetare » et paululum « retundere ») « evellere » tamen et « extorquere » valeat [6]. Quid dicam ! Nonne etiam Noster (o recitatoris indefessi gratissimum errorem !) non modo audientium studium, verum etiam mirum judicium jactat, ut qui « aurium severitate » laetetur [7] ? Recitationes igitur ita amavit, ita quoque reformidavit ut recitatores, qualescunque essent, fere omnes vereretur, omnibus adesset recitantibus, et, quod erat difficilius molestiusve, religioso propitioque eos exaudiret silentio [8]. Nec vero ullus fuit qui, nisi plures, majore saltem gaudio orationes recitaret : quarum recitationum aut ad utilitatem aut ad illecebras tantum spectans, nullo modo intelligebat quantum mera periclitaretur eloquentia.

1. II, 19, 2. — 2. Cf. V, 12, 1. — 3. V, 3, 9. — 4. VII, 17, 13. — 5. VIII, 21, 4. — 6. III, 15, 4. — 7. III, 18, 9.
8. Cf. I, 13, 5; V, 17, 2; VI, 15, 4; VI, 17, 1; VIII, 12, 1.

Cum autem his in recitationibus nihil nisi placiturum requireretur, cum turpe esset ac prope nefas ullo loco respirare qui plausum aut acclamationem non peteret, huc necessitate quadam veniebat recitator ut, rebus neglectis, verbis totus operam impenderet. Inde apud Plinium tanta de dicendi genere tamque accurata sollicitudo. In quo, seu de suis orationibus aliisque operibus disserit, seu de oratoribus aut aliis hujusce aetatis studiosis sententiam edit, quam maxime operam ponit et, si ita loqui licet, aliquantulum perdit. Quod ad orationes attinet (perinde ut ad versus), eum non ignoramus hinc copiosam ornatamque, illinc variam adamasse dicendi rationem. Nec profecto ab illa de dicendi genere existimatione abhorrent Epistolae. Nempe si copiam nonnunquam requiras, splendorem certe invenias. Varietatem autem illam mire servant in quibus, quanquam diligenti nimium nimiumque scrupuloso calamo scriptis, nunc pressius aliquid et adstrictius, nunc hilarius et exsultantius [1], nunc uberius elatiusque saepius occurrit. Eamdem certe in epistolis atque in orationibus versibusque de elocutione curam habuit. Ergo non mirandum est si de oratoribus aut de historicis aut de poetis, imo de philosophis et de eorum operibus disserens plurimum (neglectis rebus) ad verba elocutionisque virtutes ita se vertit ut recitantes hos, ut ita dicam, ante oculos habere sibi videatur. Quid enim de philosopho Euphrate, suo magistro, dicit collaudans? « Disputat subtiliter, graviter, ornate, frequenter etiam platonicam illam sublimitatem et latitudinem effingit. Sermo est copiosus et varius, dulcis in primis, et qui repugnantes quoque ducat, impellat. Ad hoc proceritas corporis, decora facies, demissus capillus, ingens et cana barba [2] », etc. Vix unum aut alterum de hujus vita moribusque, nullum verbum

1. Cf. III, 18, 10. — 2. I, 10, 5.

de doctrina habemus. Nec longe aliter de Pompeio Saturnino, oratore una et historico poetaque, res evenit : pauca invenias quae ad dicendi genus non pertineant. Nam ejus ante omnia et in causis vim ardoremque, politum genus ornatumque laudat et in scribenda historia brevitatem, lucem, suavitatem, splendorem etiam et sublimitatem praedicat et in poesi leporem dulcedinemque aut amaritudinem amoresque extollit [1]. Ac si de Isaeo, cujus in laudes animo admirationis plenissimo effunditur, plura ad res congruentia reperias, nonne haec quasi occulta jacent ceterisque obruta [2]? Quod apertius est quam ut diligentissime omnia persequamur [3]. Quod clarius etiam apparebit si hoc dixerimus scilicet Plinium in laudando verbis nonnunquam ita dubiis et male definitis usum esse ut, utrum poema an oratio laudetur, omnino ignorare posses [4].

Quanquam autem nimiam stylo curam (quod temporis potius, quam ipsius, vitium est) dedit Noster, quippe qui saepe in generibus litterariis scriptoribusque dijudicandis nihil nisi elocutionem animadverterit, quanquam studiosos et oratores in primis stimulare et instituere valuit, quanquam parciorem et picturae sculpturaeve et scientiis naturalibus locum tribuit, quot quantaque sint in epistolis quae omnium vel puerorum vel adolescentium mentes alere et acuere polleant, neminem profecto praeterit. Rebus enim de multis agunt Epistolae. Nec modo multa, sed multum : nempe a Plinio, quod ab eo qui se magistrum profiteatur, repetere non aequum sit. Si de suae aetatis moribus nos fecit certiores, si de studiosis rebusque ad studiosos pertinentibus non perpauca retulit, si nos aut ad

1. I, 16, 2, sqq. — 2. Cf. II, 3.

3. Quod ad oratores, cf. I, 16; II, 11, passim; II, 3, 7; VI, 11, 2; etc. — Quod ad poetas, cf. II, 13, 7; III, 1, 7; III, 7, 5; III, 21, 1; IV, 3, 4; IV, 18; IV, 27; V, 17; IX, 22; etc. — Quod ad jurisconsultos, cf. I, 22; — quod ad historicos scriptores, cf. I, 16, 4; VIII, 12, 4; etc.

4. Cf. IV, 20.

poesim usurpandam, delectandi mentemve exornandi gratia, sane impulit, aut de historiae utilitate et gravitate docuit pertritum iter relinquens, si oratorium genus, hinc probum plenumque auctoritate, illinc splendidum elatumque prae se tulit, satis patet eum omnibus his rebus tractatis non mediocri impetu lectores vel ad intelligendum vel ad disputandum impulisse. Desunt igitur nec quae ingenium alant nec quae hujus vim augeant.

Puerorum autem adolescentiumve ingenium eo magis haec informabunt quod saepius eadem in epistola (ut antea animadvertimus, sed hic bis repetita non sane dedecent) una in re quasi considit et nunquam a proposito egreditur. Inde teneris lectoribus major intelligendi facultas. Nec res est contemnenda. Palmam nempe aufert qui res, nullo varietatis detrimento, tanto in lumine ponit ut neminem fugere possint. Quod certe evenit. Ut enim universas aestimanti epistolas, mira apparet varietas; ita singulas, perlucidus ordo. Quibus quidem virtutibus ad stimulandos adolescentes nullae praestant; quas singulariter habuit Plinius, ut qui adolescentes ardenter diligeret et cum iis, non modo per litteras colloqui, verum etiam conjunctissime vivere ante omnia cuperet.

Ceterum, quod si hoc tantum laudandus esset Plinius quod ita litteras adamavarit praedicaveritque ut nullus fere sit, ne barbarus quidem, qui, perlectis Epistolis, aut litteras ipse non acriter diligat aut etiam ad harum studium non sese vertat, jure profecto hunc multum ad informandas mentes proficere profiteremur. Majoris tamen ad animos instituendos erit pretii.

III

QUAE IN EPISTOLIS AD MORES INFORMANDOS PERTINEANT

His ego omnino assentior qui affirmant nihil magis quam *exemplum* ad puerorum adolescentiumve animos informandos valere, nec ullam esse doctrinam rationemve, vel optimam et optime expressam, quae nos nostrosque urgentius ad bonum stimulare possit quam cujuslibet viri ad imitandum propositae virtutes vitaque. Quemadmodum enim, si Flacco credis, vitia aliena notata a malo pueros detorquere possunt,

> ....Insuevit pater optimus hoc me
> Ut fugerem exemplis vitiorum quaeque notando,
> Cum me hortaretur, parce, frugaliter atque
> Viverem uti contentus eo quod mi ipse parasset :
> « Nonne vides Albi ut male vivat filius, utque
> Bassus inops? magnum documentum ne patriam rem
> Perdere quis velit.... »
> Sic teneros animos aliena opprobria saepe
> Absterrent vitiis [1];

haud aliter bona exempla proposita, cum praesertim a viro, inter principes habito, petuntur, ad bene agendum nos quasi impe-

1. Cf. *Sat.*, I, 4, 104.

riose incitant. Nempe haec est exempli vis ut frustra ei (quod concitato calamo ostendit Juvenalis [1]), resistere conemur.

Nunc igitur ante omnia oportet requirere quae pliniana in indole fuerint quae ad exemplum proponere non dedeceat. Utinam nostri adolescentuli, Plinii epistolis jam fere penitus cognitis, eum diligant venerenturque atque ejus vita exemploque commoti, non modo se esse nunc meliores (ut fit) legendo intelligant, verum etiam quam optimos in posterum fieri vehementer gestiant.

1

Quid ipsius Plinii indoles, qualem in epistolis habemus expressam, ad pueros informandos proficiat [2].

Si quis alius, is est certe Plinius de quo, sive ad ejus vitam et indolem, sive ad opus respicis, quam optime existimes. Hujus enim epistolae quo magis perleguntur, eo vehementius diligitur auctor : adeo multis praecipuisque virtutibus ornatum hunc praebent. Et dignus est profecto qui, quasi exemplar, pueris proponatur informandis, cum ubique, diu noctuque, id molitus sit ut mores suos et indolem emendaret, virtuti faveret, suis amicisque carus viveret, posteritati denique, cujus semper erat memor, sui optimam relinqueret imaginem. Quod bene successit. Hunc enim omnes mirantur, quin etiam amant; illum igitur quin imitari nitantur non est dubitandum.

Primum omnium C. Plinii epistolas evolventi hujusque de indole consideranti, apparet profecto hunc omnes suos, ut nuper studiosos, pari indulgentia tractavisse et de cunctis

1. Cf. *Sat.*, XIV.
2. Cf. Lagergren, *de Vita et elocutione C. Plinii Secundi*, Upsal, 1872.

remissius judicavisse. Quod quidem aequalium nonnulli ei objiciebant. Nec illud ignorabat Plinius : « Ais quosdam (sic ad Septicium scribit) apud te reprehendisse, tanquam amicos meos ex omni occasione ultra modum laudem [1]. » Hanc autem culpam sponte ac libenter accipit, nedum iracunde rejiciat : « Quid enim honestius culpa benignitatis [2]? » Quis vero contendat amicos ab amico nimium amari posse? Nonne hominis est hominibus indulgere? Et optime ad Geminum : « Nostine hos qui omnium libidinum servi sic aliorum vitiis irascuntur, quasi invideant, et gravissime puniunt quos maxime imitantur? Cum eos etiam qui non indigent clementia ullius nihil magis quam lenitas deceat. Atque ego optimum et emendatissimum existimo qui ceteris ita ignoscit tanquam ipse quotidie peccet, ita peccatis abstinet tanquam nemini ignoscat [3]. » Qua vitae consuetudine nihil probius, nihil praestabilius, modo ut in adulationem blanditiasve non excidat indulgentia. In epistolis autem (his sane scriptis ad Trajanum omissis) ne verbum quidem, etiamsi rem sibi commodissimam obtinere cupiat, assentatorium certe reperias.

Quomodo igitur vir ille, tam aliis indulgens tamque suorum officiorum tenax, optimum quoque conjugem et filium et generum et cognatum et amicum et dominum se non gessisset? Rem omnino probant epistolae. Ex indulgentia enim comitas nascitur, ex comitate amicitia, ex amicitia amor. Praesto est in epistolis ejus comitas usque, amicitia saepe, interdum amor. Qui fuerit ejus amor in conjugem facile videre est. Tertiam duxit Calpurniam, quae ei sane quam maxime

1. VII, 28, 1.
2. Ibid., 2. Addit non sine, ut opinor, rationis specie : « Qui sunt tamen isti qui amicos meos melius norint? Sed ut norint, quid invident mihi felicissimo errore? »
3. VIII, 22, 1 et 2. Thraseae quoque haec verba commemorat : « Qui vitia odit, homines odit. »

fuit cordi. Amore quidem est dignissima. Quae enim melius cum Plinio consensisset, quam cujus esset summa frugalitas, summa castitas, summum ingenii acumen, summum ex viri amore literarum studium? cujus ea esset plinianae gloriae cura ut ejus libellos haberet, lectitaret, edisceret etiam; ut recitationibus, vehementer commota, velo discreta adesset; ut disponeret, cum vir causam ageret, qui nuntiarent sibi quem adsensum, quos clamores excitavisset, quem judicii eventum tulisset; ut versus Plinii cantaret formaretque cithara, « non artifice aliquo docente, sed amore qui magister est optimus [1]? » Qui vero ipsius viri erga conjugem amor, quae amoris vis, quam inquieta sollicitudo! Quanto afficitur moerore quod eam, valetudinis causa in Campaniam profectam, sequi non potuerit! Quam veretur omnia, omnia imaginatur, et, quae natura metuentium est, ea maxime sibi quae fingit abominatur! Quam impense rogat ut suo timori quotidie singulis vel binis etiam epistolis consulat [2]? Nec semel, Calpurnia absente, queritur; alias, quanto conjugis desiderio teneatur in aperto est. Quae enim scribat, lege : « Inde est quod magnam noctium partem in imagine tua vigil exigo, inde quod interdiu quibus horis te visere solebam ad diaetam tuam ipsi me, ut verissime dicitur, pedes ducunt, quod denique aeger et maestus ac similis excluso a vacuo limine recedo [3]. » Illum vere ac simpliciter loqui, (quanquam est epistolae in fine aliquid exquisitius [4]), non dubitandum est : verbis nempe inest naturalis quidam dolor. Eodem et modo graviter nos afficiunt octavi libri et decima epistola et undecima, quibus, magna tristitia oppressus, Calpurniae abortum Sabato Hispullaeque nuntiat. Nihil denique ad

1. IV, 19, 4. Cf. totam epistolam. — 2. VI, 4, 5. — 3. VII, 5, 1.

4. « Unum tempus his tormentis caret, quo in foro amicorum litibus conteror. Aestima tu quae vita mea sit, cui requies in labore, in miseria curisque solacium. »

nos commovendos aptius quam sexti septima qua iterum atque iterum uxorem rogat ut frequentissime epistolas sibi scribat. Si enim solum solatium illa in legendis conjugis libellis habet requiritque, ipse solum in eo invenit quod invicem epistolas lectitat atque identidem sumit quasi novas [1]. O dulces sollicitasque una vices! O mutui tenerique ac effusi amoris, si parva, non frigida quidem indicia nec ad misericordiam excitandam inepta! O dignum exemplum quod omnibus, vel (ne dicam *praesertim*) aetate nostra, proponatur [2]! Nec unquam nimis cito adolescentibus proponi possit.

Exemplo quoque sit Plinii summa erga matrem voluntas. Miseni enim, jamjam circumstante periculo, matrem tunc orantem, hortantem, jubentem quoquo modo fugiat (« posse enim juvenem, se et annis et corpore gravem bene morituram, si causa mortis non fuerit [3]) » deserere recusat et « salvum se nisi una futurum » affirmat. Itaque et « ejus manum amplexus » est et « addere gradum » coegit. Hic igitur, quanquam magno in discrimine fuit versatus, invitam incusantemque se quod filium moraretur, certa e morte abstraxit matrem. — At enim omnes non aliter fecissent. — Concedo. Fecit tamen Plinius. Ejus igitur, nisi amorem, virtutem tamen et animi constantiam laudare aequum est.

Hunc magis etiam laudemus (nempe res insolentior est et digna quae posteris mandetur) quod socrum suam Pompeiam Celerinam (uxoris secundae matrem) miro modo adamavit fuitque ab illa adamatus. Quod ex una aut altera epistola satis patet. Quid enim scribit? Hoc. « Non mehercule tam mea sunt quae mea sunt quam quae tua : hoc tamen differunt quod sollicitius et intentius tui me quam mei excipiunt. Idem for-

1. VI, 7, 2.
2. Cf. VIII, 5, qua Macrini sortem dolet quod excellentem amisit uxorem.
3. VI, 20, 12.

tasse eveniet tibi si quando in nostra deverteris. Quod velim facias... ut perinde nostris rebus ac nos tuis perfruaris [1]... » Eadem et alias profert. Nempe cum Calvisium Rufum de agris emendis in consilio adhibet et sese empturum non dissimulat, « quaeris, inquit, an hoc ipsum tricies facile colligere possimus? sum quidem prope totus in praediis, aliquid tamen fenero, nec molestum erit mutuari; accipiam a socru, cujus arca non secus ac meā utor [2]. » Nonne haec rerum mutua communisque possessio ac usus, non modo placidissimam concordiam, verum animi etiam consensionem magnamque demonstrat amicitiam? Quod honestum mutuae caritatis certamen nec tempus nec Plinii cum Calpurnia matrimonium ullo modo aut obtudit aut debilitavit. Alsiensem enim in socrus villam nostrum venientem videas [3]. Parvum illud; hoc majus. Trajano principi gratias agentem invenimus quod sibi socruique rem petenti satisfecerit [4]. Quod igitur alterius interest, interest et alterius. Rarius quidem.

Alia autem, vel probatiora, exstant quae Nostri benevolentiam comitatemque denuntiant. Omissis epistolis quae ad Fabatum aut ad Hispullam pertinent quaeque magna cum amicitia magnam bonitatem (et effusam, et sollicitam!) declarant, plurima de ejus vitae erga amicos consuetudine nanciscimur. Nulla enim fere est epistola qua amicitiae officiis non aliquantulum defungatur. Amicos ita amat ut eis (quod pauci faciunt) bono non invideat quo ipse caret, « sed contra sensum quemdam voluptatemque percipiat si ea quae ipsi denegantur amicis videt superesse [5] ». Nec ipsa studia, studia, inquam, tanti aestimat ut amicitiae officium deserere cogant [6]. Itaque et mortuos aperto effusoque animo luget et orbatos solatur et aegros fovet suscitatque et validos omni modo

1. I, 4, 2. — 2. III, 19, 8. — 3. VI, 10. — 4. Cf. *Ad Traj.*, LI. — 5. I, 10, 12. — 6. VIII, 9, 2.

adjuvat. Lege enim (brevius dicam) quo modo Corellii doleat mortem, nonnulla a Calestrio petens solatia, nova, magna, quae nunquam audita, nunquam lecta possint superasse dolorem : « Nam quae audivi, quae legi, sponte succurrunt, sed tanto dolore superantur [1]. » Lege quo modo Spurimae Cottiaeque filium desideret, ut a parentibus avertere nitatur quidquid dolorem augeat vel acuat! « Composuisse me quaedam de filio vestro non dixi vobis, cum proxime apud vos fui, primum, quia non ideo scripseram ut dicerem, sed ut meo amori, meo dolori satisfacerem.... Praeterea veritus sum ne vos festis diebus confunderem, si in memoriam gravissimi luctus reduxissem [2]. » Vide quoque quanto dolore adficiatur de Helvidiarum sororum tam tristi acerboque casu quantumque de earum fratre (tanta est « in amore mollities animi ») timeat [3]! Quam molli humanoque stilo, quam commoto pectore (quis ignorat?) Fundani filiae mortem deploret [4]; quanto desiderio Julium Avitum prosequatur, quem nimis laudare timet ne nimium luctui indulgeat [5]! Nec te fugiat quantum Juni Aviti morte fuerit oppressus. Hoc enim in epistolae initio : « Omnia mihi studia, omnes curas, omnia avocamenta exemit, excussit, eripuit dolor, quem ex morte Juni Aviti gravissimum cepi [6] ». In clausula istud : « Accedit lacrimis meis quod absens et impendentis mali nescius pariter aegrum, pariter decessisse cognovi, ne gravissimo dolori tempore consuescerem. In tantis tormentis eram, cum scriberem haec, scriberem sola; neque enim nunc aliud aut cogitare aut loqui possum [7] ». Talibus autem his quo modo nos non moveamur? Quae sane animi commotio adeo salutaris est ut inde in melius lector se vertat et nescio quid, Plinio quasi hortante, mollius libenter capiat generosiusve.

1. I, 12, 13. — 2. III, 10, 1. — 3. IV, 21. — 4. V, 16. — 5. V. 21, 3 sqq. — 6. VIII, 23, 1. — 7. Ibid., 8.

Quid igitur mirum si vir ille amicos dolentes non aequo animo videt, in eorum luctus societatem ultro venit, eis quoque gratias agit quod amissi caritatem desiderio extendant [1]. Quid, si de suorum morbo, mortis quasi imagine jam oppressus, quam maxime et metuit et animo tremit? Sic Titi Aristonis (cujus, ut solet, omnes virtutes ad nubem tollit) longa et pertinaci valetudine perturbatus, diutius in urbe haeret : qua cura modo liberatus suum repetit Laurentinum « id est libellos et pugillares studiosumque otium » [2]; et tristissimam agit vitam quod Julius Valens graviter jaceat [3]; et Gemino suo, gravi valetudine nunc affecto, et verbis et suimetipsius exemplo opitulatur, monens patienter ac fortiter ei resistat [4]; et, cum jampridem amicorum epistolis caret, instantibus verbis amico a negligenti rogat ut talem sibi eximat scrupulum, eximat autem tabellario misso : « Ego viaticum, inquit, ego etiam proemium dabo, nuntiet mihi modo quod opto [5] ».

Amicos autem omnes, praesentes absentesve, validos aut invalidos, libenter ardenterque adjuvat, consilia et rem et tempus ipsum et gratiam et auctoritatis patrocinium praebens iterumque praebens ac tanquam effundens. Nulli adesse prae-

1. Cf. VIII, 5, 3 : « Ero ergo suspensus pro homine amicissimo dum admittere avocamenta et cicatricem pati possit. » — IX, 9, 1 : « Unice probo quod Pompei Quintiani morte tam dolenter adficeris ut amissi caritatem desiderio extendas; non ut plerique, qui tantum viventes amant seu potius amare se simulant, ac ne simulant quidem, nisi quos florentes vident. »

2. I, 12, 11.

3. VI, 21, 2. « Quanquam ne hoc quidem triste accidit, si illius utilitatibus aestimetur, cujus interest quam maturissima inexplicabili morbo liberari. »

4. VII, 1.

5. III, 17, 2. « Ego valeo, si valere est suspensum et anxium vivere, exspectantem in horas timentemque pro capite amicissimo quidquid accidere homini potest. » — Cf. II, 2; I, 11 : « Fac sciam quod agas, quod sine sollicitudine summa nescire non possum. » V, 1, ad Tironem : « Quidquid in causa, eripe me huic tormento. »

termittit, tanta animi benevolentia suos auxilians quanta liberalitate aut judicio. Quod profecto neminem fugit; cujus rei tam multa sunt exempla ut omnia proferre non sit in manibus. Nempe nullum amicitiae munus negligit, vel minutissimis defungi usque paratus. Amicum enim decet (praesertim amicum qui omnes eodem animo, qualescunque natu vel fortuna sunt, amat amicos nec quasi gradatim habet[1]) amicos quid debeant aut fugere aut facere « sub exemplo praemonere[2] ». Nunc igitur aut Attium Clementem ad Euphratem philosophum audiendum invitat, cujus sermo adeo est copiosus et varius dulcisque ut repugnantes quoque ducat et impellat[3]; aut Arriano suadet ut meritas Marcellino gloriosum ob factum laudes tribuat[4]; aut Marcellinum, de filia mortua Fundano scribentem, ad solatium mittendum « non quasi castigatorium et nimis forte, sed molle et humanum » inducit[5]; aut Severum, consulem designatum, rogantem quid in honorem principis faciendum deceat, consilio fovet honestissimo[6]; aut Maximum, Achaiae procuratorem, id est merae Graeciae, ad humanissimam gubernandi consuetudinem ipse humanissima epistola hortatur[7]; aut Tironem, laudans quia « justitiam suam provincialibus multa humanitate commendat », incitat ut discrimina ordinum dignitatumque custodiat, « quae si confusa, turbata, permixta sunt, nihil est ipsa aequalitate inaequalius[8] »; aut denique sive Juniorem impellit ut minore erga filium severitate utatur[9], sive Genitorem ut quid ex rugis in vita remittat alienisque oblectationibus quamdam concedat veniam[10], sive Savinianum ut servo, quem facinoris poenitet, velit ignoscere. Nunc autem omni modo apud amicos amicis suis favere gratia sua vel auctoritate contendit. Hic Prisco Voconium Romanum

1. Cf. II, 6, 2, — 2. Ibid., 6. — 3. Cf. I, 10, 5. — 4. IV, 12, 5. — 5. V, 16, 10. — 6. VI, 27. — 7. VIII, 24. — 8. IX, 5, 1 et 3. — 9. IX, 12. — — 10. IX, 17, 1, sqq.

commendat, sodalem suum, Priscumque impensius precatur ut eum pro ingenio proque fortuna exornet [1]; illic Maximo Arrianum Maturum, cujus de castitate, justitia, gravitate, prudentia, judicio, fide, amore (« amat me, nihil possum ardentius dicere, ut tu »), permultum jactat [2]; hic Sosio Senecioni Varisidium Nepotem, rogans « semestri tribunatu splendidiorem et sibi et avunculo suo faciat » additque : « Multa beneficia in multos contulisti : ausim contendere nullum te melius aeque bene unum aut alterum conlocasse [3] »; illic Fundano Asinium Rufum hujusque filium, Asinium Bassum et ab amico petit consule fere designato (et beneficia daturum et accepturum exquisitissimis callidius laudibus onerans) quaestorem eum habere non recuset [4]; illic Fundano eidem Julium Nasonem [5], honores petiturum; hic Prisco Atilium Crescentem, quem ab adolescentia acerrime amat, quem sese incolumi injuriam accipere non suscipiat, cujus damnum contumeliamve, velut proprium damnum, propriam contumeliam ita judicet ut gravius etiam irascatur [6]; illic denique et Falconi Cornelium Minicianum [7] et Cornuto Claudium Pollionem [8], effuso animo et vehementer permoto pectore.

1. II, 13, 10 : « Inprimis ama hominem : nam licet tribuas ei quantum amplissimum potes, nihil tamen amplius potes amicitia tua. » Ibid.

2. III, 2, 2, sqq. — 3. IV, 4, 2 et 3.

4. Cf. IV, 15, 13 : « Proinde indulge precibus meis, obsequere consilio. » Ibid., 13 : « Etenim cum sic te, sic Bassum diligamus ut et illum cujuscunque et tuum quemcumque quaestorem in petendis honoribus omni ope, labore, gratia simus juvaturi, perquam jucundum nobis erit, si in eumdem juvenem studium nostrum et amicitiae meae et consulatus sui ratio contulerit, si denique precibus meis tu potissimum adjutor accesseris, cujus et suffragio senatus libentissime indulgeat et testimonio plurimum credat. »

5. VI, 6.

6. VI, 8, 9. — Cf. Ibid., 4 : « Debuit ei pecuniam Valerius Varus : hujus est heres Maximus noster, quem et ipse amo, sed conjunctius tu. Rogo ergo, exigo etiam pro jure amicitiae, cures ut Atilio meo salva sit non sors, verum etiam usura plurium annorum. »

7. VII, 22. Cf. Ibid., 3. Postquam amicum laudibus oneravit dicit ingeniose : « Nihil volo elatius de modestissimo viro dicere. »

8. VII, 31. — Cf. ibid., 7 : « Hunc hominem, adpetentissimum tui, mihi

A principibus quoque pro amicis saepius quaedam efflagitat et eorum causa sua ipse utitur gratia. Nempe aut pro Voconio Romano a Nerva trium liberorum jus obtinet, cui antea jam juveni juvenis quantum potuit per aetatem « avidissime » contulit [1], aut pro Sexto Erico latum clavum quaesturamque adipiscitur [2]. Quid igitur ad Trajanum? Nonne solertissimo et callidissimo stilo (amor enim calamum ducit) a principe optimo rogat ut in amplissimum honorem promoveatur Voconius Romanus [3], et Harpocrates medicus civitate donetur romana [4], et Postumio Marino ejusque propinquis, his civitas, illi jus Quiritium detur [5]? Nonne denique vel Metilio Crispo ordinem ipse impetrat [6] vel Accii Surae causam agit cui praeturam ut tribuat obnixe Trajanum precatur [7]?

Alia autem officia, nec leviora, amicitiae causa, Noster suscipit. Amicos enim, honores petituros, omni modo et amicissime sustinet. Pro Ericio hoc, quod est argumento : « Itaque prenso amicos, supplico, ambio, domos stationesque circumeo, quantumque vel auctoritate vel gratia valeam, precibus experior [8]. » Eadem et pro Julio Nasone : « Pendeo ergo et exerceor spe, adficior metu, et me consularem esse non sentio : nam rursus mihi videor omnium quae decucurri candidatus [9] ». Is enim est qui amico officium quoddam, qualecunque sit, recusare nec velit nec possit. Ergo et amici filiae, libenter etiam, maritum quaerit scrupuloseque perpendit [10], et, rogante Sabino, quanquam plurimis occupationibus distentus, Firmanorum publicam agere causam non repudiat [11]. Idem, rogante

crede, complectere, adprehende, immo et invita et sic ama tanquam gratiam referas. Neque enim obligandus, sed remunerandus est in amoris officio qui prior coepit. »

1. II, 13, 8. — 2. II, 9, 2. — 3. *Ad Traj.*, IV, 2. — 4. Ibid., V; VI; VII; X. — 5. *Ad Traj.*, 11. — 6. VI, 25, 3. — 7. *Ad Traj.*, XII. — 8. II, 9, 5. — 9. VI, 6, 2. Cf. ibid., 15 : « Ego ambio, ego periclitor... » — 10. I, 14.

11. VI, 18, 1. Cf. ibid. « Cupio enim et ornatissimam coloniam advocationis officio et te gratissimo tibi munere adstringere. »

Triario, privatam ejus causam gravemque suscipere non negat, hac lege ut secum simul agat Cremutius Ruso, clarus adolescens, quem et ostendere foro et famae vult adsignare [1].

Ceterum ita pro nihilo habet tempus laboremve aliis impendere, ut amicorum opera ne pecuniae quidem parcat. Exemplis abundant epistolae. Romatio quippe Firmo contubernali ad implendas equestres facultates trecenta millia nummum offert, haec memorabilia addens : « Te memorem hujus muneris amicitiae nostrae diuturnitas spondet. Ego ne illud quidem admoneo, quod admonere deberem, nisi te scirem sponte facturum ut dignitate a me data quam modestissime, ut a me data, utare. Nam sollicitius custodiendus est honor, in quo etiam beneficium amici tuendum est [2]. » Calvinae item, adfini suae, cui jam antea nubenti in dotem centum millia contulerat, patris debitum (cum ductus adfinitatis officio creditor solus, dimissis omnibus aliis, exstet) condonat ut hujus famam tueri hereditatemque adire possit [3]; Metilio Crispo, municipi suo, cui « impetravit ordinem », quadraginta millia nummum proficiscenti ad instruendum se ornandumque largitur [4]; nutrici denique suae agellum, qui centum millium est nummum quemque Vero colendum credidit, gratificatur [5]. At hactenus haec [6]. Quid plura? Nonne enim is est qui haec, quae profecto referre et ante oculos aequum est proponere, de liberalitate, de vera liberalitate scripserit : « Volo eum qui sit vere liberalis tribuere patriae, propinquis, adfinibus, amicis, sed amicis dico pauperibus, non ut isti qui potissimum iis donant qui donare maxime possunt. Hos ego viscatis hamatisque muneribus non sua promere puto sed aliena corripere. Primum est autem suo

1. VI, 23, 2. — 2. I, 19, 3. — 3. II, 4. — 4. VI, 25. 3.
5. VI, 3. — Cf. ibid., 3 : « Tu modo memineris, commendari tibi a me non arbores et terram (quanquam haec quoque) sed munusculum meum. »
6. Cf. VII, 11 ; VII, 12. Hic Minicio dicit : « Quid enim non commune nobis. »

esse contentum, deinde quos praecipue scias indigere sustentantem foventemque orbe quodam societatis ambire [1]. »

Plinius autem cum erga amicos talem protulerit amicitiam qua nulla est et sedulior et diligentior et certior, qua erga suos, amicos una et studiosos, sit usus requirere non odiosum est [2]. Eos quasi mitiore et arctiore prosequitur amore, nedum eis, paululum etiam, invideat. Hoc enim omisso, quod secum ad agendum etiam summos oratores appellare non timet [3], non contentus studiosos operaque laudibus extollere, et libellos, si necesse est, in lucem proferre et eos ad scribendum iterum et saepius inducere, omnes hos gratia et opibus et pecunia sublevat. Revoca enim in memoriam quae aut in Suetonium Tranquillum aut in Martialem aut in Quintilianum aut in Artemidorum sit largitus; quanta industria, Tranquillo poscente, et ad causam agendam dilationem impetret [4], et de tribunatu, quem jam ei a Neratio Marcello petivit, in Silvanum ejus propinquum transferendo nitatur [5] remque impetratam mira animi nuntiet ingenuitate [6], et a Trajano « jus trium liberorum » imploret. Hunc nempe « probissimum, honestissimum, eruditissimum » declarat et « mores ejus secutus et studia jampridem... in contubernium adsumpsit tantoque magis diligere coepit, quanto hunc propius inspexit [7]. » Ne agello quidem in emendo amici causam deserit [8]. Eumdem et animum aut erga

1. IX, 30, 1, sqq. — 2. Cf. Moy. Qualem apud aetatis suae studiosos personam egerit C. Plinius Secundus. Paris, 1876.

3. Cf. III, 9, 7 et 8 : « Habet quidem gloria, in studiis praesertim, quiddam ἀκοινώνητον; nobis nullum certamen, nulla contentio, cum uterque pari jugo, non pro se sed pro causa niteretur. » — Cf. quoque VI, 23, 2.

4. I, 18, 1. — 5. III, 8, 1.

6. Ibid., 2. « Mihi autem sicut jucundissimum ipsum te tribunum ita non minus gratum alium per te videre. Neque enim esse congruens arbitror, quem augere honoribus cupias, huic pietatis titulis invidere qui sunt omnibus honoribus pulchriores. »

7. *Ad Traj.*, XCIV, 1. Cf. quoq. XCV.

8. I, 24, 1. « Tranquillus contubernalis meus (sic Hispano scribit) vult emere agellum quem venditare amicus tuus dicitur. Rogo cures quanti

Martialem quem ab urbe secedentem viatico erat prosecutus [1] aut erga Quintilianum habuit cujus filiae puellae « tanquam parens alter » (titulum enim hunc sibi vindicat) quinquaginta millia nummum confert [2]. In Artemidorum denique (nam de aliis studiosis vel pauca dicere molestum esset) officiosissima usus est amicitia. Eum nempe ab urbe summotum non deseruit et « pecuniam etiam, qua tunc illi ampliore opus erat, ut aes alienum exsolveret, mussantibus magnis quibusdam et locupletibus amicis mutuatus ipse gratuitam » dedit [3].

Quis igitur ei, tanta munificentia animique bonitate praedito, merito non succenseat quod saepius ipse, suis beneficiis quasi indulgens, non contentus non ea reticere, omnia recenset et jactantiore modo referre videtur? In mentem ipsa subeunt exempla. Nonne eum animadvertimus pecuniae datae summam diligenter commemorantem, nedum sit oblitus? Nonne eum, inter alia, suorum beneficiorum memoriam commodissime revocantem? Nonne eum, amico (aut amicae, nempe Calvinae) [4] aliquoties prioris beneficii, alio dato, per accessionem memoriam renovantem? Quae profecto Plinio indigna habemus. Ne tamen ultra modum succenseamus. Nempe si in jactantiae aut ambitionis culpam venit, duabus ex causis praesertim res manat : primum de se quam optimam opinionem posteritati relinquere vehementer cupiens, nihil ad id omittit; deinde accidit ut (quis non ita existimet?) in epistolis, ad amicos aperto pectore, nisi libero stilo, scribens, sua beneficia fere inconscius nonnunquam expromat extollatque. Ceterum, cum nemini datum objiciatur beneficium, cum (datum profecto quanquam non satis silentio praetermittit nec, quod sit melius, accurate dissimulat absconditque) amicum saltem

aequum est emat : ita enim delectabit emisse. Nam mala emptio semper ingrata, eo maxime quod exprobrare stultitiam domino videtur. »

1. III, 21, 2. — 2. VI, 32, 2. — 3. III, 11, 2. — 4. II, 4, 2.

aut sibi obligatum minime ducat aut ideo sibi inferiorem teneat aut minoris pretii existimet (res contra se aliter habet), beneficii causa beneficium jactanti ignoscamus.

Ignoscamus praesertim quia Plinius maximas, hoc temporis, non habuit divitias. Licet enim multas possideret terras villasque, licet non mediocri quotannis uteretur reditu, licet rebus in agendis esset peritus necnon et ad pecuniam fenerandum [1], licet ex socru ipsa pecuniam petere posset, licet saepissime vel ex amicis, vel etiam ex ignotis donationes, nec parvas, haberet [2], modicis profecto, ut fatetur ipse, fruebatur facultatibus [3]. Dignitas enim sumptuosa erat; reditus propter conditionem agellorum et minor et incertior : « sed quod cessat ex reditu frugalitate suppletur, ex qua velut fonte liberalitas decurrit [4]. » Quanta nostri fuerit frugalitas multis ex epistolis satis lucet. Hujus nempe et vitae consuetudinem, cum Romae, tum rure, non nescimus; villas, quales fuerint, facile repraesentare est; de suis prandiis etiam nos facit certiores [5]. Nec ea obscura jacent. Quemadmodum se et dignitate vitae modum habere non indignum, sic luxuriem mollitiemque, ut scopulum, effugere contendit reveraque effugit. Ut brevius dicam, parcus fuit, parcus autem amicis benefaciendi causa; quo imprimis laudandus est.

Nec amicis tantum, municipibus autem et libertis servisque ac aliis fere omnibus benefaciebat. Patriae enim, id est Comis (avunculi [6] et prosoceri [7] exemplum secutus) et bibliothecam [8] et annuos sumptus (quod jam antea vidimus) in alimenta ingenuorum tribuit [9] et multam pecuniam ad magistros con-

1. III, 19, 8. — 2. III, 6, 1 ; VII, 20, 6; V, 7, 1; V, 1, etc. — 3. II, 4, 3. — 4. Ibid. — Cf. IV, 6.
5. Cf. *De vitae consuetudine*, I, 15; II, 4 et 6 ; II, 17; V, 6; IX, 7, etc.
6. Cf. Mommsen, op. cit., II, 1, p. 31.
7. Cf. *Epist.*, V, 11, 1.
8. I, 8. — 9. VII, 18, 2.

ducendos [1]; nunc templum pecunia sua in Tuscis exstruit [2]; nunc ex hereditate quae sibi obvenit Corinthium emit signum quod in patria, celebri loco ac potissimum in Jovis templo ponatur [3]; denique ad thermas et struendas et ornandas et curandas pecuniam moriens relinquit [4]. Et in servos libertosque eadem magnificentia animique lenitas. Quod ad libertos, omissa illa hereditate quam eis tribuit quamque ex inscriptione cognovimus [5], quantum eos molliter haberet, ex hac epistola cernere est qua de Zosimi infirmitate tanta cum sollicitudine loquitur : « Est mihi semper in animo et Homericum illud : πατὴρ δ'ὣς ἤπιος ἦεν, et hoc nostrum « pater familiae ». Quod si essem natura asperior et durior, frangeret me tamen infirmitas liberti mei Zosimi, cui tanto major humanitas exhibenda est, quanto nunc illa magis eget.... etc. [6]. » Idem illic (non sine quadam de se studiisque peculiari cura, quae hominem sapit) de Encolpii lectoris valetudine omnino perturbatus videtur [7]. Quod ad servos, mitiorem dominum inveniri non posse fatendum est. Ita enim est mitis ut tardiores ac paene negligentes (ut mitibus plerumque fit dominis) servos habeat [8]; ita dulcis humanusque, hac aetate praesertim, ut aut eis vel nocentibus indulgeat ignoscatque [9] aut testamenta faciendi facultatem, fere tunc solus, eis concedat [10] aut etiam mortuos eos lugeat deploretque : « Confecerunt me infirmitates meorum, mortes etiam, et quidem juvenum [11]... Nec ignoro alios ejusmodi casus nihil amplius vocare quam damnum eoque sibi magnos homines et sapientes videri. Qui an magni sapientesque sint nescio; homines non sunt. Hominis est enim adfici dolore,

1. IV, 13, 5.

2. III, 4, 2; IV, 1, 5 : « Oppidum est praediis nostris vicinum, nomen Tiferni Tiberini, quod me paene adhuc puerum patronum cooptavit... adventus meos celebrat, profectionibus angitur, honoribus gaudet. »

3. III, 6, 5. — 4. Cf. Mommsen, op. cit., II, 13; p. 76. — 5. Ibid., p. 77. — 6. V, 19, 1. — 7. VIII, 1. — 8. I, 4, 3. — 9. IX, 21. — 10. VIII, 16, 2. — 11. Ibid., 1.

sentire, resistere tamen et solatia admittere, non solatiis non egere [1]. » Quae verba tantam redolent humanitatem ut Seneca non indigna videantur [2]. Quae est, ut opinor, optima laus. Quid igitur mirum si, nihil quod ad hominem spectet a se putans alienum, in Bithynia legatus, ipsos erga christianos praecipua justitia ac clementia sit usus [3]?

De animi bonitate et de comitate et de magnificentia et de frugalitate et de humanitate quoniam fusius disseruimus, quoniam nunc nihil de Plinii prompta usque industria, quam profecto satis apertam habemus, dicendum est, ad honestatem igitur veniamus. In qua rectissima ponitur aequitas atque sive alienarum rerum sive voluntatum reverentia. Probissimus autem (vel si communes extra fines quid verbum hoc sonet aut ejus vim extendis) fuit Plinius. Nempe famae inserviens, nusquam hanc vel quodam facto vel quodam responso, utili fortasse, inhonesto tamen, laedere fas esse existimat [4]. Quamobrem hic, Octavio Rufio quanquam poscente ac exigente, negat tamen (res enim nec fidei nec constantiae convenit) contra provinciam Boeticam agere « quam tot officiis et laboribus vel etiam suis periculis aliquando devinxerit » [5]; illic pro Boeticis agens omni ope conatur « ne potentissimi vilissimo quoque quasi peculiari dato alienis poenis » elabantur [6]; hic eadem in causa « honestissimum » judicat non premere immerentem nec hoc dicere « et libere et varie » reformidat [7]; illic sibi jure congratulatur quod in causis agendis pactione, dono, munere, xeniis etiam semper abstinuerit [8]. Idem, quem nulla in re nemo a probitate detorquere possit, eam

1. Ibid., 3, sqq. — 2. Cf. Senec., Ep. 47. — 3. Cf. *Ad Traj.*, XCVI et XCVII. — 4. Cf. I, 5, 7. — 5. I, 7, 2.

6. III, 9, 9. — Cf. § 10 : « Etenim, inquit, tum maxime favor et ambitio dominatur, cum sub aliqua specie severitatis delitescere potest. »

7. Ibid., 21

8. V, 13, 9. « Oportet quidem quae sunt inhonesta non quasi inlicita sed quasi pudenda vitare. »

sibi legem imposuit ut defunctorum voluntates, etiamsi contra leges essent suasque proprias res, quasi perfectas haberet atque tueretur custodiretque religiosissime [1]. De quo nimium collaudari non potest. Nempe vel ex epistolis satis apparet quantum amici, probi tamen, de hoc cum Plinio dissentirent [2]. Jure quidem ipse dicit et dicere potest : « Neque enim minus apud nos honestas quam apud alios necessitas valet [3]. » Tantum illam valere putat, tantum aequitati haeret Plinius ut Curiano, a matre exhederato (ipse ex parte heres), respondeat oranti portionem donet praejudicioque hoc se juvet [4], pollicenti autem tacita conventione se salvam redditurum, tum moribus suis non convenire aliud palam aliud agere secreto, tum se esse paratum portionem cedere si inique exhederatus appareat [5]. Conspicuam magis etiam hanc habemus honestatem cum negotiatoribus nonnullis, quibus vindemias ante tempus vendidit quorumque spem res fefellit, summa justitia partem octavam pretii quo quisque emerat concedit [6]. Inde fit ut, seu Romae, seu rure, eum quasi judicem arbitrumve appellent omnes vel accipiant; ut nihil contra jus postulet, quaerat autem nihilominus num quod obtinuerit, debuerit postulare. Tanta ejus erat vis conscientiae [7]!

De probitate hactenus; Plinii autem, ut indolem adumbratam absolutius effingamus, nos notare decet et virtutem in adeundam mortem et in morbo patientiam fortitudinemque et, cum reverentiam qua optimos viros, tum odium quo pessimos pro-

1. Cf. II, 16; IV, 10; V, 7.

2. Ad Annianum scribit : « Tu quidem pro cetera tua diligentia admones me codicillos Aciliani.... pro non scriptis habendos. » (II, 16, 1.) — Ad Sabinum : « Quaeres quid sentiam » (IV, 10, 2); — ad Calvisium : « Scio te quoque a judicio meo non abhorrere » (V, 7, 3). (Rem non ita certam habet Plinius; eo magis hanc affirmat, ut ad suam sententiam amicum trahat.)

3. IV, 10, 3. — 4. Cf. V, 1, 2. — 5. Ibid., 3.

6. VIII, 2, 3. — « Erat expeditum omnibus remittere aequaliter, sed non satis aequum. » § 2.

7. VIII, 14, 24.

sequitur. Nonne enim is est qui nec periculum nec mortem etiam Miseni reformidet cum mori potius quam matrem deserere malit [1], qui nullo modo valetudine sese vel impediri vel opprimi ferat [2], qui cum optimis (quorum nominibus abundant epistolae) arctissima necessitudine conjunctum esse sibi honori existimet? Vivos meritis extollit laudibus; mortuos (quod apud homines rarius est) eodem cultu eademque complectitur reverentia. Quis igitur eum aut avunculi reverenter memoriam colentem non omnino probet [3], aut Verginii tutoris [4], aut Corellii Rufi [5], aut Aruleni Rustici [6]? Quis ei non plaudat scribenti, Verginii Rufi monumento, adhuc imperfecto, viso : « Subit indignatio cum miseratione, post decimum mortis annum reliquias neglectumque cinerem sine titulo, sine nomine jacere, cujus memoria orbem terrarum gloria pervagetur [7]? » Quis eum non merito laudet quod sui esse officii existimet Titinio de illustrium quorumdam virorum vita morteque recitanti non deesse : « Videor ergo fungi pio munere quorumque exsequias celebrare non licuit, horum quasi funebribus laudationibus, seris quidem sed tanto magis veris interesse [8] ».

Quid autem in malos? Scilicet hoc. Regulo ipse fere solus, Regulo, inquam (quanquam « δυσκαθαιρέτῳ ») [9], resistere audet hujusque amicitiam recusat, cum seu delatorem seu hereditatum captatorem et pravissimum et ignavissimum et impudentissimum honestissimo indefessoque consectatur odio, cujus foedam avaritiam in captando filio, miram in eo lugendo ostentationem, stultam in vexandis salutatoribus superbiam,

1. VI, 20, 5 et 12. — 2. VII, 1, 4.
3. Cf. III, 5; V, 8, 5; VI, 16; VI, 20.
4. Cf. II, 1; V, 3, 5; VI, 10; IX, 19.
5. Cf. I, 12; IV, 17; V, 1, 5; VII, 11, 3; VII, 31, 4; IX, 13, 6.
6. Cf. I, 5, 2 et 5; I, 14, 2.
7. VI, 10, 3. — 8. VIII, 12, 5. — 9. I, 5, 15.

summam in novis nuptiis moliendis perversitatem, probrosis verbis notat infamatque [1]. Quanta quoque moveatur indignatione (nam indignari decet, aut potius ridere; « ridere satius, ne se magnum aliquid adeptos putent qui huc felicitate perveniunt ut rideantur [2] »), cum aut Pallantis monimentum, via Tiburtina, hocce modo inscriptum videt : « huic senatus ob fidem pietatemque erga patronos ornamenta decrevit et sestertium centies quinquagies, cujus honore contentus fuit [3] »; aut senatusconsultum istud copiosissimum ac effusissimum ante oculos praebet quo nunc senatorum ambitio praebendique se libido et humilitas vilitasque, nunc vel Pallantis libidines, vel Caesaris patientia effingitur expressius [4]! Deinde, occiso Domitiano, Helvidii memoriam vindicare et una nocentes insectari vehementer cupiens, nonne Publium Certum in senatu, invitis plerisque, turbatis metuentibusque amicis, aggreditur inturbatus ipse et interritus, periculi futuri incuriosus, omnino paratus « si ita casus attulerit, luere poenas ob honestissimum factum, dum flagitiosissimum ulciscatur [5] ». Denique malos etiam principes, Domitianum praesertim, num saepius et acerbius lacessere desistit? Quando enim insanum hunc principem laedendi occasionem praetermittit [6]? Quando suum proprium odium non libenter ostentat? Quod sane amplius etiam omni in Panegyrico declarat; tam aperte tamen in epistolis id ostendit ut nisi fortitudinem (nempe occiso Domitiano scribit), animi saltem ingenuitatem honestatemque laudemus. Quod ad fortitudinem, non ei hanc defuisse jam antea (nec locus est dubitandi) animadvertimus. Quod si Domitiano tyranno viventi sese palam opponere aut non potuit aut non valuit, si, tempo-

1. Cf. I, 5; II, 20; IV, 2; IV, 7; VI, 2. — 2. VII, 29, 4. — 3. VII, 19, 2. — 4. VII, 6. — 5. IX, 13, 7, 12, etc.

6. Cf., inter alia, I, 5, 1; ibid., 1 et 14; I, 12, 8; III, 9, 31 et 33; IV, 9, 2; IV, 22, 5; IX, 13, 2.

ribus serviens, otio se tradere maluit quam principis iram susciperet et se in vitae discrimen offerret, quis ergo ei vehementius hoc objiceret? Fuit is nempe qui suorum honorum cursum, ab illo insidiosissimo principe provectum « antequam profiteretur odium bonorum », interceperit cum videret « quae ad honores compendia paterent », longiusque iter maluerit [1]. Ceterum quaque die novi principis, id est libertatis, initium exspectans, utilius sane patriae fore existimabat se suosque servare quam incerto in certamine crudelissimam adversus belluam omnia quasi in aleam committere. Ac fortius erat fortasse, hac aetate, sub tali domino, aliis ad fugam, aliis ad supplicium missis, vitam, id est quasi quotidianam mortem, perferre quam ultro semel mortem appetere voluntariam.

Restat ut de pliniana erga Deos reverentia nonnulla dicamus. De reverentia enim hic tantum dici potest. Nihil aliud in epistolis ad familiares invenire est. Nullo modo de Diis orbisque gubernatione suam profert sententiam. Eum habemus qui tantum aut templum propria pecunia exstruat [2] reficiatve [3] aut corinthia statua Jovis aedem exornet [4] aut suum Maximum suadeat ut Graeciae conditores Deos, quin etiam « nomina Deorum » revereatur [5]. Nec in epistolis ad Trajanum plura. Hoc tantum reperimus scilicet Nostrum, hinc ob pietatem dubitare possitne salva religione aedes vetustissima Nicomediae alias transferri annon [6], illinc saepius Trojani imperiique causa Diis supplicare [7]. Ex hoc igitur Plinium Deos esse existimantem profecto habemus; nihil tamen amplius. Ad Panegyricum, si plura cupias, sit confugiendum. Hic enim, quanquam quodam in loco, ludens scilicet (aut potius omnia ad Trajani laudem in oratione vertens), Deum fingit, Trajano imperante, res humanas ipsum negligentem [8], multis tamen

1. *Paneg.*, 95. — 2. IV, 1, 5. — 3. IX, 39, 1. — 4. III, 6, 5. — 5. VIII, 24, 3. — 6. Cf. *Ep. ad Traj.*, XLIX. — 7. XIV; XXXV; LII. — 8. *Paneg.*, 80.

in locis, non modo Deos esse, sed esse etiam Deos qui res curent humanas tueanturque, aperte declarat [1].

Quomodo igitur fieri possit quin virum illum tot et tantis virtutibus ornatissimum adolescentibus exemplar proponant magistri et sibi ad aemulandum quasi vindicent adolescentes, praesertim cum omnes has virtutes, nec ullo modo humiliores, publica in vita retinuerit Plinius. Quod profecto ejus vitae curriculum probat honorumque cursus; quod epistolae (nam intra epistolas nos continere debemus) melius ipsae ostendunt. Qualis enim fuerit tribunus facile hoc conjecturam facimus quod in tribunatu causis agendis ultro abstinuit, tribunatum ducens non inanem umbram aut sine honore nomen, potestatem autem « sacrosanctam et quam in ordinem cogi ut a nullo ita ne a se quidem deceat [2] ». Quod ad regendas pertinet provincias, aut ad Maximum aut ad Tironem epistolae, quantum, ejus sententia, humanitate et aequitate et comitate uti procuratorem deceat, satis demonstrant. Nempe vehementer Maximum hortatur ut urbium gloriam veterem et hanc ipsam senectutem revereatur « quae in homine venerabilis, in urbibus sacra »; apud eum antiquitati sit honor et ingentibus factis et « fabulis quoque »; « nihil ex cujusquam dignitate, nihil ex libertate, nihil etiam ex jactatione » decerpat; « absit superbia, asperitas [3] »... « Nam, inquit, quid ordinatione civilius? quid libertate pretiosius? Porro quam turpe, si ordinatio eversione, libertas servitute mutetur? [4] » Nec aliter Tironem ad maximam impellit humanitatem « cujus praecipua pars est honestissimum quemque complecti atque ita a minoribus amari ut simul a principibus diligare [5] ». Non igitur mirum si in Bithynia legatus ad has leges vitae rationem revera conformavit. Tantam inde diligentiam tamque religiosam

1. Ibid., 3; 8; 52; etc. — 2. I, 23, 1. — 3. VIII, 24, 3 et 5. — 4. Ibid., 8. — 5. IX, 5, 1.

habet honestatem et tam miram humanitatem ut nulla sit res qua accuratissime non fungatur, nulla fere de qua semper, ulla dubitatione oppressus, ad Trajanum non referat, nulla denique de qua, officii sui conscius, diu non meditetur. Prudentiam tamen ejus et industriam sapientiamque usque laudat princeps : ut enim Trajanum plerumque consulit Plinius, ita Plinio semper confidit Trajanus [1].

Hic est igitur quem imitandum omnes ante oculos habere debeamus. Nisi quis affirmet parvam Plinio, de se loquenti, fidem adhibendam esse, quia ille, et laudum amore et posterorum reverentia in epistolis omni ope nisus ut quam maxime absolutam de se aequalibus posterisve injiceret opinionem, non ideo potuerit a vero non discedere. Res autem multo secus evenit. Nunquam a vero aut conscius deflexit aut deflectere potuit. Nempe amicos majore amore et majore etiam cultu prosequebatur quam ut eos ex industria falleret; nempe si ad amicos, scribebat tamen ad homines et aequales (et invidiosos quidem) quos falsis indiciis non facile fuisset deludere; nempe epistolas, si falsis rebus ultro ipse, vel de se uno, inquinasset, quanquam accuratius scriptas nec ad statim edendum scripsisset nec ipse edidisset. Nusquam igitur consulto suos decipientem Plinium invenias. Fides ergo non in eo desideratur. Quae, totam si meam sententiam, missis ambagibus, exprimere licet, ex hac (tot et toties ei objecta) vanitate magis etiam clariusque enitescit. Cujus autem vanitatis tam candidus est color ut inde aperte appareat suas Nostrum epistolas sincero scripsisse animo. Ergo ei confidere non nequimus. Videre est enim quanto animi candore curet ut tituli honoresque posteris transmittantur [2]; quam mentis mera sinceritate et laudes et

1. Cf. passim.
2. Cf. III, 6, 6; VI, 10, 4 : « quo indignatur quod Virginii Rufi monumentum sine titulo, sine honore jaceat ».

reverentiae amorisque notas sive a principe [1] sive a senatu [2] urbibusque et provinciis [3] sive ab amicis studiosisque [4] acceptas referat; quam ingenuo pectore hos praesertim laudibus extollat quos habeat et studiorum socios et admiratores [5]; quanta animi simplicitate (nec molesta quidem, nec illepida) orationum argumentum narret horumque eventus aperiat [6] et verba ingeniosissima, vel etiam silentia, tradat [7] et causarum agendarum difficultatem nos doceat [8] et auditorum assensum plaususque notet [9] et unam aut alteram praedicet orationem [10]; quam denique jucundo animi impetu operum aliorum virtutes extollat et suum ad obtinendam gloriam ardorem [11] et posterioris famae studium [12] seque etiam proferendi nobis prodat cupidinem [13], et omnia quae ad gloriam pertineant fusissime mandet [14].

Ceterum etiamsi gloriosius et elatius de se, nec inconsulto, locutus esset, ei tamen, ni fallor, esset ignoscendum. Nam cum ejus non esset conditio quae Marci Tullii, cum ingenio

1. II, 11, 15; VII, 33, 9; etc.
2. II, 11, 14; III, 4, 3; etc.
3. III, 4, 2 sqq.
4. III, 18, 4; IV, 17, 8; III, 21, 5; IV, 5, 2; etc.
5. IV, 27; VI, 6; VI, 11; VIII, 12; IX, 20.
6. III, 9; IV, 9; VII, 33; etc.
7. Ibid., et VII, 6, 3, sqq.; VII, 33, 4.
8. II, 11, 10, sqq.; IV, 9, 7; VI, 33, 3, sqq.
9. II, 11, 14; III, 9, 23; IV, 9, 9 et 10; IV, 16; II, 11, 15; IX, 13, 18.
10. VI, 33, 11 : « In summa, solent quidam ex contubernalibus nostris existimare hanc orationem, iterum dicam, ut inter meas, ὡς ὑπερ Κτησιφῶντος esse. » — VII, 30, 4 : « Sed cum lego ex comparatione sentio quam male scribam, licet tu mihi bonum animum facias, qui libellos meos de ultione Helvidii orationi Demosthenis κατὰ Μειδίου confers, quam sane, cum componerem illos, habui in manibus, non ut aemularer (improbum enim ac paene furiosum) sed tamen imitarer et sequerer. » Cf. IX, 13, 18.
11. Cujus rei exempla nunc dare non sane necesse est.
12. VII, 33, ad Tacitum : « Auguror, nec me fallit augurium, historias tuas immortales futuras; quo magis illis, ingenue fatebor, inseri cupio. »
13. IX, 13, 2.
14. I, 8, 6; II, 11, 10, sqq.; III, 4, 3, sqq.; VI, 33, 2; VII, 33; VIII, 2; IX, 12; IX, 13; IX, 23; etc., etc.

(ut Plinii verba mutuer) nec varietas rerum nec magnitudo largissime suppeteret [1], cum angustioribus terminis ita clauderetur ut de se suisque factis non loqui non posset, tanquam necessitate in hoc cadebat ut de se immodestius dicere semper videretur ac revera diceret. Adde quod vir ille, nihil nisi rectum aut honestum appetens, ad amicos stimulandos (tempore quo fere omnes, ad malum proni, non modo vitiis indulgebant, verum etiam a virtute abhorrere gloriabantur) bona usque exempla commemorans, tunc, ut ita dicam, cogebatur ut haec, sic in paucis, ita in semetipso requireret. Anceps autem et lubricus hic locus est, et in quo temperanter agere quam sit difficile nemo est qui non fateatur.

Quidquid est et omissa vanitatis culpa, nonne C. Plinii Caecili Secundi ea est indoles (nam nunc decet eorum quae diximus quasi summam facere) quam ad aemulandum merito adolescentibus proponamus? Nonne is est qui, si adolescentulum istud vanitatis vitium, virtutes certe has quibus maxime adolescentes, ut suis, delectentur, id est animi liberalitatem et caecam quasi inconsultamque lenitatem et rerum hoc non morosius judicium, miro modo habuerit? Nec defuerunt aliae. Quem quidem invenire possimus, primo praesertim post Christum saeculo, virtutis bonorumque amantiorem? Quem et honestiorem et aequiorem et humaniorem? Quem et sui et aliorum reverentiorem? Quem in vitae consuetudine antiquis digniorem moribus? Quem praecipua inter saeculi ornamenta magis numerandum? Quem postremo (ut omnia uno verbo amplectar) magis idoneum qui colatur una et diligatur? Colant igitur et eum diligant adolescentes : hoc est in votis.

1. IX, 2, 2.

2

De exemplis praeceptisque ad virtutem stimulandam proficientibus.

Mirum profecto videtur virum illum et eximiis praeditum virtutibus et omnibus aequalibus probatissimum, qui amicorum ipse fuerit adjutor paratissimusque patronus, non necessarium judicasse, ut consiliis proprioque exemplo, ita certae disciplinae praesidio (ea praesertim aetate), Romanos aut nutantes aut jam labefactos sustinere simul et erigere. Nec vero desunt qui omnino moleste ferant Plinium suis aequalibus, ut in epistolis ad Lucilium scriptis fecerat Seneca, constitutam bene et fortissimam non proposuisse doctrinam. Cujus tamen rei multae sunt causae ; nec altius latent. Ac primum omnium si natura Seneca, quanquam paterna institutione paene totus litteris tradebatur addicebaturque, ad philosophiam obnixe vergebat, Noster contra, avunculi scientia relicta et quasi contempta, ad litteras vix adolescentulus studiis et tota mente inclinabat. Itaque litteras, litteras modo adamavit, eloquentiam praesertim et poesim quae tum adolescentulo (res satis constat) ad petendos honores plurimo adjumento esse poterant. Philosophiae autem praecepta penitus introspiciendi nec studium nec otium habuit [1]. Si igitur Artemidorum aut Euphratem aut Musonium non sine mentis animique voluptate libenter frequenterque audivit, si in eos adjuvandos nec amicitiae nec laudibus pepercit, voluntarius tamen tiro in tirocinio perstitit.

1. Cf. quid dicat de Aristone, I, 22, 6 : « Non quidem gymnasia sectatur aut porticus nec disputationibus longis aliorum otium suumque delectat, sed in toga negotiisque versatur. »

Nec longe abest quin affirmet (quod jocans Euphrates) « hanc esse philosophiae, et quidem pulcherrimam partem, agere negotium publicum, cognoscere, judicare, promere et exercere justitiam quaeque ipsi (philosophi) doceant in usu habere [1] ». Inde fit ut tum ad philosophorum doctrinas aut explicandas aut refutandas, quod fecerat Tullius, operam nolit impendere (ut qui hujus eloquentiam potius ex philosophorum ludis quam ex rhetorum officinis evasisse non meminerit), tum philosophorum virtutes, non vero rationem, cum de his loquitur, significare soleat. Fabii exemplum tenens, modo de philosophorum ingenio ac indole in epistolis agit; eorum, si licet [2], vitam et mores laudibus praedicandi munus sibi vindicat. Sapientium enim sapientiam se non posse omnino intelligere fatetur : « Ego nunc magis miror, quia magis intelligo; quanquam ne nunc quidem satis intelligo. Ut enim de pictore, scalptore, fictore nisi artifex judicare, ita nisi sapiens non potest perspicere sapientem [3]. » Ergo de philosophis, quantum ei « cernere datur », sententiam profert. Nunc Euphratem laudat quod nullum horrorem habeat in cultu, nullam tristitiam, multum severitatis; quod disputet subtiliter, graviter, ornate; quod frequenter etiam Platonicam illam sublimitatem et latitudinem effingat; quod ei sit vitae sanctitas summa, comitas par; quod insectetur vitia, non homines, nec castiget errantes, sed emendet [4]; nunc Artemidori et sinceri-

1. I, 10, 10. — Cf. Quinctil. : « Quapropter haec exhortatio mea non eo pertinet ut esse oratorem philosophum velim, quando non alia vitae secta longius a civilibus officiis atque ab omni munere oratoris recessit ». XII, 2.

2. Cf. Quinctil. : « Ac veterum quidem sapientiae professorum multos et honesta praecepisse, et ut præceperunt, etiam vixisse, facile concesserim : nostris vero temporibus sub hoc nomine maxima in plerisque vitia latuerunt. Non enim virtute ac studiis, ut haberentur philosophi, laborabant, sed vultum et tristitiam et dissentientem a caeteris habitum pessimis moribus praetendebant », I, 1.

3 I, 10, 4. — 4. I, 10, 5, sqq.

tatem et veritatem extollit [1]. Quos profecto eo libentius laudat quod vere sapientes nullos et esse et posse sentit. Quid enim de Artemidoro? « Sapientem aut proximum simillimumque sapienti intelligere sum visus [2]. »

Multi tamen philosophorum nomine, stoicorum praesertim, tum gloriabantur. Qui non jam spectabant (priorum graecorumque stoicorum viam deserentes) ut Deum Deique naturam illustrarent, ut Dei arctissima cum homine vincula et quasi consanguinitatem in aperto facerent, ut de sorte hominis post mortem quidquam explanare tentarent. Tunc fere omnes ad philosophiam hanc, in qua de bonis rebus ac malis deque hominum vita et moribus disputatur, atque ad exprimendam vere sapientis imaginem sese converterant. Plinium autem, si haec, quae in epistolis invenimus, vel ad Musonii [3] vel ad Epicteti doctrinam contuleris, minime stoicum esse judicabis. Nusquam enim fere, licet omni aetatis gradu praeclarissimis cum stoicis, Thrasea quippe et Corellio Rufo, multisque aliis vixerit conjunctissimus, licet Musonii Euphratisque et Artemidori verba non pingui hauserit animo, stoicum agit : in epistolis ne semel quidem Epicteti nomen tibi occurrat. Hominis enim erga homines officia et in plurimos et longissime procedere existimat; omnia optabilia vel ad cujusque propriam infinitamque libertatem vel ad hanc animi tranquillitatem, quae negligentem prodit animum, non refert; otium istud denique, quod Epicureis objiciunt stoici quodque ab eorum doctrina, invitis ipsis, manat, sicut homine indignissimum despicit rejicitque. Hunc nempe ab illa disciplina deterrebat animi indoles, natura ad comitatem prona, quid-

1. III, 11, 6. « Nam ex omnibus qui nunc se philosophos vocant vix unum aut alterum invenies tanta sinceritate, tanta veritate. »
2. III, 11, 5.
3. Cf. Peerlkamp : « Musonii Rufi, philosophi stoici, reliquiae et apophthegmata », 1822.

quid offensionem haberet fugiens; et philosophorum contemptus istorum qui sapientiae studium ex habitu corporis ostentant ; et vitae felix curriculum in quo nihil fuerat durius asperiusve quod animi quasi ferream fortitudinem reposceret; et haec imprimis animi mollitia, haec ad misericordiam humanitatemque [1] propensio, haec etiam aut lacrymandi aut dolendi voluptas, quas, propriam veluti hominis vim intimamque, et homini et sibi (tanquam in stoicos agens) jactanter vindicat. « Nec ignoro, inquit, alios ejusmodi casus (id est servorum infirmitates mortesque) nihil amplius vocare quam damnum eoque sibi magnos homines et sapientes videri. Qui an magni sapientesque sint nescio, homines non sunt. Hominis enim est adfici dolore, sentire, resistere tamen et solacia admittere, non solaciis non egere.... Est enim quaedam etiam dolendi voluptas, praesertim si in amici sinu defleas, apud quem lacrimis tuis vel laus sit parata vel venia [2]. » Quae ipsa per se loquuntur : Nullum hic fere verbum est quod stoica a disciplina longe ita non deflectat ut quasi contrarias partes sustinere videatur Plinius.

Sunt tamen duo quibus non multum a stoicis dissidet : primum somniorum spectrorumque mira fides, deinde apertus ad mortem ultro appetendam, quando est necessitas, consensus. Quod ad somnia spectraque pertinet ex epistolis (I, 18; VII, 27) satis lucet; quod ad voluntariam mortem, nos Epistola (I, 22), non inepte docet, qua Titi Aristonis vel ad vivendum vel ad moriendum fortitudinem praedicat : « Rogavitque ut medicos consuleremus de summa valetudinis, ut, si esset insuperabilis, sponte exiret e vita, si tantum difficilis et longa, resisteret maneretque.... Id ego arduum in primis et praecipua laude dignum puto. Nam impetu quodam et instinctu procurrere ad

1. Cf. IX, 5, 1. — 2. VIII, 16, 3.

mortem commune cum multis, deliberare vero et causas ejus expendere, utque suaserit ratio, vitae mortisque consilium vel suscipere vel ponere ingentis est animi [1]. » Nec alias (ut unum aut alterum exemplum addam) de voluntaria morte aliter sentit : hic enim Corellii Rufi, illic Arriae ad mortem appetendam animum laudat [2]. Ex hoc facile intelligere est Plinium, eum esse qui, tempore exigente ac conscientia, mortem, non dico accipere, verum etiam provocare nullo modo timuisset.

His relictis, in stoicam disciplinam minime adduci potest Noster. Epicureo autem a grege, quod satis est perspicuum, magis etiam distat. Ceterum in epistolis nullam peculiarem reperias doctrinam, velut cui in portum philosophiae confugere non fuerit opus. Attamen, quamvis ad constitutam rationem sua consilia praeceptaque non referat nec via progrediatur legitima, quaedam certa firmaque, quae ad animos informandos singulariter valeant, huc illuc dispersa nancisci possumus. Quae quidem in unum congregare operae pretium est; et ea imprimis quae mortali in vita humanam attinent ad immortalitatem. Nonnunquam enim Plinius et de vitae humanae brevitate et de temporum celeriore fuga et de hominum caduca sorte disserit doletque. Si autem de animi immortalitate nihil certum in epistolis habemus, si omnino ignoramus utrum, avunculi instar, hanc neget, an huic fidem, Cleanthis sententiam accipiens, adhibeat (usque ad tempus saltem quo totus conflagraverit orbis), nihil profecto dubitandum est Nostrum semper hoc reputasse, scilicet hos solos hominis nomine dignos esse qui ad immortalitatem omni ope, omnibus viribus tendere velint. Quam sane, ut antea vidimus, in nostri memoria apud posteros poni constat. Te igitur, ut hanc possideas, et scriptis et factis contendere oportet [3]. Non enim moriuntur

1. I, 22, 8 et 10. — 2. Cf. I, 12, et III, 16. — 3. Cf. III, 7, 14; II, 10; I, 3, 4; V, 8, 1 et 2; IX, 13, 2.

qui quoquo modo se bene vixisse testantur. Non ideo fas est, ut Plinii verba usurpem, « aut flere aut omnino mortem vocare qua... mortalitas magis finita quam vita est [1] ». Nempe qui magnam amplexi sunt gloriam, vivunt semperque vivent atque etiam latius in memoria hominum et sermone versabuntur postquam ab oculis recesserunt [2]; nempe homines oportet aut immortalitatem suam aut mortalitatem cogitare « et illos quidem contendere eniti, hos quiescere, remitti, nec brevem vitam caducis laboribus fatigare et... misera simul et ingrata industriae imagine ad vilitatem sui pervenire [3] »; nempe nostram immortalitatem etiam curare ita aequum est et necessarium ut nos ipsi (« tam rara in amicitiis fides, tam parata oblivio mortuorum ! ») conditoria exstruere debeamus omniaque heredum officia praesumere [4]. Inde fit ut plinianis ex epistolis legem hanc, ut officiorum vitaeque magistram, habere possimus : Semper ad tui nominisque aeternitatem, id est ad posterorum laudes, respiciens, vitam age.

Aliud est certe quod ex epistolis haurias : aliorum scilicet hominum reverentiam. Nempe a suimetipsius reverentia profectus, alios homines reverenter habet Plinius. Quam quidem, quanquam multis probare exemplis non in manu habemus, multae tamen epistolae mire testantur. Quanquam enim civem se esse romanum sibi magno habet honori, alios tamen homines non contemnit; quanquam principes inter et inclytos viros versatur, nullum sive libertum sive servum dedignatur, nullum postremo, qualiscunque est, hominem esse homo ipse obliviscitur. Quid de servis et cogitet et scribat jam compertum est. Nunc memorare non otiosum est quae Maximum de Graecis monebat : « Cogita te missum in provinciam Achaiam, illam veram et meram Graeciam; missum ad ordinandum statum

1. II, 1, 10. — 2. Id., ibid., 11. — 3. IX, 3, 2. — 4. VI, 10, 5.

liberarum civitatum, id est, ad homines maxime homines, ad liberos maxime liberos [1]... ». Quod si igitur apud Nostrum, ut apud Senecam (nam, mirum! Senecae discipulum talia scribentem dicas) omnes homines tanti aestimantur, nonne Plinius, licet certam philosophiae rationem nunquam expresserit, nonnunquam tamen vere philosophi (si verbi hujus fines longius extendere licet) personam egisse dici merito potest?

Ceterum nihilominus quam Seneca, diverso tamen modo, ad dirigendos informandosque animos tunc dabat operam et nunc etiam proficere valet. Non enim suos amicos quamdam ad rationem intelligendam occupandamque acris vehementisque mentis vi quasi trahit; satis habet eos benignis verbis ad se ducere praesertimque exemplorum opimo delectu ad bonum allicere. Porro autem et parvas dissertationes componenti et multa exempla proferenti, idem, quod litterarias scribenti epistolas, accidit : uni haeret argumento eademque in materia, quo melius illustretur certiusque accipiatur, fere usque manet. Habemus igitur, si non scholas ad hanc philosophiam quae in rerum contemplatione versatur pronas, disceptationes autem philosophia illa quae in actione constat plenas multisque et praesentibus (quae docendi ars est optima) exemplis. Adde quod totus in hac cura versatur Noster ut saepius epistolae in initio totam materiam aperte significet : positam rem caetera cum exemplis demonstrat epistola. Quod quidem plinianum opus legenti facillime occurrit; quod mire ostendunt, multas inter alias, praesertim hae epistolae VII, 26; IX, 30; III, 16 [2]. Hujus etiam posterioris epistolae in fine invenitur hoc : « Unde colligitur quod initio dixi [3]. » Odium sane ex his fastidiumque nascitur; concedo. Clariores autem, quod

1. VIII, 24, 2.
2. Nec desunt alia exempla. Cf. I, 9; II, 17; III, 19; V, 8, etc.
3. III, 16, 13.

majus est, res apparent; ita clariores ut cuique epistolae, rei quasi lumen testimoniumque, inscribi possit titulus. Atque etiam desiderandum est hos, qui Plinii epistolas ediderunt, non saepius ita epistolas edidisse ut quamque titulus amplecteretur et illustraret. Quam multae enim sunt epistolae quibus Noster, virtutem extollendo, legentium virtutem accendit. Qua flagranti animi voluptate aequalium aut vivorum aut mortuorum, sive publica, sive privata in vita, praecipua illuminet facinora, neminem fugit; quo intimo secretoque gaudio, quanquam dolore perculsus, tota in Epistola Corellium Rufum hujusque mortis fortitudinem praedicet [1], qui gravissimam tamdiu valetudinem modo sustulerit ut Domitianum sibi videre mortuum liceret [2]! Verginii autem Rufi, quam ardenti animo aut clarissimam vitam, « in qua summum fastigium privati hominis implevit cum principis noluerat », laudibus extollat, aut funus, in quo nempe mortuum laudaret Cornelius Tacitus ipse, « laudator eloquentissimus », ornatissimus ante oculos praebeat [3]! Nonne alia in epistola indignatur quod praeclarissimi hujus monimentum imperfectum viderit neglectumque cinerem « sine titulo, sine nomine jacere, cujus memoria orbem terrarum gloria pervagetur [4] ». Nonne alias denique vivido amore et hujus famam defendit et ab eo superbiae crimen deprecatur, qui duos versus sepulchro suo inscribi jure, Plinio si credis, jussit? « Nec facile quemquam nisi Verginium invenio cujus tanta in praedicando verecundia quanta gloria ex facto. Ipse sum testis, familiariter ab eo dilectus probatusque, semel omnino me audiente provectum ut de rebus suis hoc unum referret, ita secum aliquando Cluvium locutum « scis, Vergini, quae historiae fides

1. « Dixerat sane medico admoventi cibum « κέχρικα »; quae vox quantum admirationis in animo tantum desiderii reliquit », I, 12, 10.
2. I, 12, 8. — 3. II, 1, 2 et 6. — 4. VI, 10, 3.

debeatur : proinde si quid in historiis meis legis aliter ac velis, rogo ignoscas ». Ad hoc ille : « Tune ignoras, Cluvi, ideo me fecisse quod feci, ut esset liberum vobis scribere quae libuisset[1] ? » Eadem et magnorum facinorum reverentia, eodem et ad bonum illustrandum impetu, Arriae facta praeclara dictaque et hanc humana majorem seu in ferendo filii amissi dolore seu in morte ultro appetenda fortitudinem aperit[2]; Fanniae, illius neptis, gravitatem, castitatem, sanctitatem, constantiam profert[3]; feminae hujus obscurioris amorem erga maritum infractam ad moriendum virtutem tota producit epistola[4]. Nec minore cum laude amicis nobisque exemplo proponit, vel Spurinnae, cum honestissimam vitam, tum simplicissimam modestissimamque senectutem[5]; vel Junii Maurici « quo viro nihil firmius, nihil verius » responsa haec quae verum et liberum sane redolent animum[6]; vel Plinii avunculi indefessum laboris scientiaeque amorem qui ne vitae quidem pepercerit[7] !

Ad humiliora veniamus. Hic etiam nos multa docemur. Nec fieri potest quin praesentius urgentiusve doceamur. Cum enim ad Catilium Severum scribens de Titi Aristonis gravitate, sanctitate, doctrina praedicat, cum in jure privato et publico hujus scientiam, cum et in victu et in cultu modestiam, cum morbo in ferendo patientiam jactat, non modo Severum, nos quoque profecto, optime docet[8]. Docet certe etiam Pomponius Bassus quo modo « disponere otium et ferre » debeamus[9]; docet Titinius Capito quomodo claros viros colere oporteat[10]; docet Egnatius Marcellinus quanti, in quaestore praesertim, pretii sit probitas[11]; docet denique Pompeius Falco (Plinio adjuvante) quanta cum reverentia sit necesse publica adire munera[12]. « Plurimum refert quid esse tribuna-

1. IX, 19, 5. — 2. III, 16. — 3. VII, 17. — 4. VI, 24. — 5. III, 1. — 6. IV, 22. — 7. III, 5; VI, 16 et 20. — 8. I, 22. — 9. IV, 23. — 10. I, 17. — 11. IV, 12. — 12. I, 23.

tum putes, inanem umbram et sine honore nomen an potestatem sacrosanctam et quam in ordinem cogi ut a nullo ita ne a se quidem deceat [1]. » Quem a fastidiosa in dando convivio et sordida parcimonia hujus exemplum non deterreat, quem ingeniose ludit Plinius « sibi et paucis opima quaedam, caeteris vilia et minuta ponentem [2] »? Quem pueris a castigandis non deducat haec epistola maxime probando plena judicio, in qua haec : « Heus tu, nunquamne fecisti quod a patre corripi posset? fecisti, dico. Non interdum facis quod filius tuus, si repente pater ille, tu filius, pari gravitate reprehendat? Non omnes homines aliquo errore ducuntur [3]? » Quem a superbia et a crudelitate erga servos non avocet Largii Macedonis cruenta mors [4]? Quem Reguli una et Pallantis et scelera (quae in epistolis omnia percensuit) et improbitas et avaritia et impudentia in summam invidiam et acerbissimum odium non efferant [5]!

Ceterum ipse est Plinius (quod antea vidimus) cujus peculiari exemplo certius etiam fortasse firmiusque doceri possimus. Nullus profecto aut humanior aut vere liberalior aut indulgentior. Inde fit ut quae de humanitate vel de liberalitate vel de indulgentia scripserit commoto animo, ante oculos semper habere debeamus : omnia haec jam omnino pervidimus. Nunc hoc tantum dicere opus est scilicet Plinium in his epistolis [6], quanquam (non *quia* dico) sapientiam non profitetur, sapientia uti maxima et philosophum agere jucundissimum una et gravissimum.

Utilem porro ad animos informandos pariter habemus si nunc seu in his praeceptis seu in his sententiis quibus abundant epistolae, quae multarum rerum usum ac quasi peritiam ostentant, quae, neque copia neque nervis deficientibus, passim per epistolas effunduntur, quae, saepius epistolae in fine,

1. Ibid., 1. — 2. II, 6, 2. — 3. IX, 12, 1. — 4. III, 14. — 5. I, 5; II, 20; IV, 2; VII, 29, etc. — 6. VIII, 16; VIII, 22; IX, 30.

quasi in statione, ex industria positas habemus, nostrum omnes studium collocamus. Attamen apud eum, non omnia velut apud Senecam scatent sententiis ita ut earum densitas sibi obstet invicem; nec in hoc adhibendo quod aequalibus placeret, nimium fuit immodestus. Quo magis eas libenter accipimus. Harum igitur optimas et una praecepta et nonnullas de humana indole notas, omissis epistolis quae de vitae brevitate et de temporum fuga agunt, omissa illa (quam totam prodere deceat) qua nos morbo et languore meliores fieri callide notat [1], nunc aut adolescentibus perspiciendas aut magistris (adolescentium gratia) explicandas afferre necesse est. Nec ullo opus est ordine. Varietate enim ipsae, ut opinor, placebunt; placebunt rerum humanarum solerti, si non acerba, scientia. Legas igitur judicesque :

« Nam mitium dominorum apud servos ipsa consuetudine metus exolescit, novitatibus excitantur probarique dominis per alios magis quam per ipsos laborant. » (I, 4, 4.)

« Est enim (Regulus) locuples, factiosus, curatur a multis, timetur a pluribus, quod plerumque fortius amore est. Potest tamen fieri ut haec concussa labantur. Nam gratia malorum tam infida est quam ipsi. » (I, 5, 15.)

« Neque enim tanto opere mihi considerandum est quid vir optimus in praesentia velis, quam quid semper sis probaturus. » (I, 7, 3.)

« Etenim si alienae quoque laudes parum aequis auribus accipi solent, quam difficile est obtinere ne molesta videatur oratio de se aut de suis disserentis? Nam cum ipsi honestati

1. VII, 26 : « Nuper me cujusdam amici languor admonuit optimos esse nos, dum infirmi sumus. Quem enim infirmum aut avaritia aut libido sollicitat? Non amoribus servit, non adpetit honores, opes negligit... Tunc Deos, tunc hominem esse se meminit, invidet nemini, neminem despicit ac ne sermonibus quidem malignis aut attendit aut alitur. »

tum aliquanto magis gloriae ejus praedicationique invidemus atque ea demum recte facta minus detorquemus et carpimus quae in obscuritate et silentio reponuntur. » (I, 8, 6.)

« Pleraque quae agendae rei necessaria eadem peracta nec utilitatem parem nec gratiam retinent. » (Ib., 7.)

« Praeterea meminimus quanto majore animo honestatis fructus in conscientia quam in fama reponatur. Sequi enim gloria, non adpeti debet, nec si casu aliquo non sequatur, idcirco quod gloriam meruit minus pulchrum est. Iis vero qui benefacta sua verbis adornant non ideo praedicare quia fecerint, sed ut praedicarent fecisse creduntur.... (Ib., 15.)

« Nam ut in ceteris rebus, ita in audiendi officio perit gratia, si reposcatur. » (I, 13, 6.)

« Sed hoc ipsum amantis est, non onerare (amicum) laudibus. » (I, 14, 10.)

« At hoc pravum malignumque est, non admirari hominem admiratione dignissimum, quia videre, adloqui, audire, complecti, nec laudare tantum verum etiam amare contigit. » (I, 16, 9.)

« Scias ipsum plurimis virtutibus abundare qui alienas sic amat. » (I, 17, 4.)

« Nam sollicitius custodiendus est honor in quo etiam beneficium amici tuendum est. » (I, 19, 4.)

« Utque corpori ferrum, sic oratio animo non ictu magis quam mora imprimitur. » (I, 20, 2.)

« Aliud alios movet, ac plerumque parvae res maximas trahunt. Varia sunt hominum judicia, variae voluntates.... » (Ib., 12.)

« Omnia ad conscientiam refert recteque facti non ex populi sermone mercedem sed ex facto petit. » (I, 22, 5.)

« Nam mala emptio semper ingrata, eo maxime quod exprobrare stultitiam domino videtur. » (I, 24, 2.)

« Illa (gula) ergo reprimenda, illa quasi in ordinem redigenda est, si sumptibus parcas, quibus aliquanto rectius tua continentia quam aliena contumelia consules. » (II, 6, 5.)

« Unde evenit ut quod multi clamore permixto tuentur nemo tacentibus ceteris dicere velit : patescit enim, cum separaris a turba, contemplatio rerum quae turba teguntur. » (II, 11, 7.)

« Hoc pluribus visum est. Numerantur enim sententiae, non ponderantur; nec aliud in publico consilio potest fieri in quo nihil est tam inaequale quam aequalitas ipsa. Nam cum sit impar prudentia, par omnium jus est. » (II, 12, 5.)

« Rogat enim, et quidem efficacissime, qui reddit causas rogandi. » (II, 13, 11.)

« Est enim ita comparatum ut antiquiora beneficia subvertas, nisi illa posterioribus cumules : nam quamlibet saepe obligati, si quid unum neges, hoc solum meminerunt quod negatum est. » (III, 4, 6).

« Adnotasse videor facta dictaque virorum feminarumque alia clariora esse, alia majora. » (III, 16, 1.)

« Multi famam, conscientiam pauci verentur. » (III, 20, 9.)

« Ac sicut ἀγαθία μὲν θράσος λογισμὸς δὲ ὄκνον φέρει, ita recta ingenia debilitat verecundia, perversa confirmat audacia. » (IV, 7, 3.)

« Omnes enim qui gloria famaque ducuntur mirum in modum adsensio et laus a minoribus etiam profecta delectat. Etenim, nescio quo pacto, vel magis homines juvat gloria lata quam magna. » (IV, 12, 6 et 7.)

« Si computes annos, exiguum tempus; si vices rerum, aevum putes. » (IV, 24, 5.)

« Nam pleraque tacta tantum et omnino commota latissime serpunt. » (V, 4, 3.)

« Mihi autem videtur acerba semper et immatura mors eorum qui immortale aliquid parant. Nam qui voluptatibus

dediti quasi in diem vivunt vivendi causas quotidie finiunt[1]; qui vero posteros cogitant et memoriam sui operibus extendunt, his nulla mors non repentina est, ut quae semper inchoatum aliquid obrumpat. » (V, 5, 4.)

« Est omnino iniquum sed usu receptum quod honesta consilia, vel turpia, prout male aut prospere cedunt, ita vel probantur vel reprehenduntur. Inde plerumque eadem facta modo diligentiae, modo vanitatis, modo libertatis, modo furoris nomen accipiunt. » (V, 9, 7.)

« Nescit enim semel incitata liberalitas stare, cujus pulchritudinem usus ipse commendat. » (V, 11, 3.)

« Oportet quidem quae sunt inhonesta non quasi inlicita, sed quasi pudenda vitare. » (V, 13, 9.)

« Ut enim crudum adhuc vulnus medentium manus reformidat, deinde patitur atque ultro requirit, sic recens animi dolor consolationes rejicit ac refugit, mox desiderat et clementer admotis adquiescit. » (V, 16, 11.)

« Est enim ita natura comparatum ut nihil aeque amorem incitet et accendat quam carendi metus. » (V, 19, 5.)

« Non nisi viventes reverentur. » (VI, 6, 4.)

« Qui invidet minor est. » (VI, 17, 4.)

« Neque enim cuiquam tam clarum statim ingenium ut possit emergere, nisi illi materia, occasio, fautor etiam commendatorque contingat. » (VI, 23, 5.)

« Quodque in pavore simile prudentiae, alienum consilium suo profert (vulgus).... » (VI, 20, 7.)

« Sed non omnibus eadem placent, ne conveniunt quidem. Praeterea faciendi aliquid vel non faciendi vera ratio cum hominum ipsorum tum rerum etiam ac temporum conditione mutatur. » (VI, 27, 4.)

1. Juvenalis versum illum in memoriam revoca :

Et propter vitam vivendi perdere causas.

« Ut enim, si coenam tibi facerem, dulcibus cibis acres acutosque miscerem, ut obtusus illis oblitusque stomachus his excitetur, ita nunc hortor ut jucundissimum genus vitae nonnullis interdum quasi acribus condias. » (VII, 3, 5.)

« Est enim, ut Xenophon ait, ἥδιστον ἄκουσμα ἔπαινος, utique si te mereri putes. » (VII, 32, 2.)

« Nam fruendis voluptatibus crescit carendi dolor. » (VIII, 5, 2.)

« Quotus enim quisque tam patiens ut velit discere quod in usu non sit habiturus. Adde quod difficile est tenere quae acceperis, nisi exerceas. Itaque reducta libertas rudes nos et imperitos deprehendit : cujus dulcedine accensi cogimur quaedam facere antequam nosse. » (VIII, 14, 3.)

« Est enim quaedam etiam dolendi voluptas.... » (VIII, 16, 5.)

« Nam paulum differt patiaris adversa an exspectes; nisi quod tamen est dolendi modus, non est timendi. Doleas enim quantum scias accidisse, timeas quantum possit accidere. » (VIII, 17, 6.)

« Ea sub oculis posita negligimus, seu quia ita natura comparatum ut proximorum incuriosi longinqua sectemur, seu quod omnium rerum cupido languescit, cum facilis occasio, seu quod differimus tanquam saepe visuri quod datur videre, quotiens velis cernere. » (VIII, 20, 1.)

« Male vim suam potestas aliorum contumeliis experitur, male terrore veneratio adquiritur longeque valentior amor ad obtinendum quod velis quam timor. Nam timor abit, si recedas, manet amor, ac sicut ille in odium hic in reverentiam vertitur. » (VIII, 24, 6.)

« Est enim summi amoris negare veniam brevibus epistulis amicorum, quamvis scias illis constare rationem. » (IX, 2, 5.)

« Plerique autem, dum verentur ne gratiae potentium

nimium impertire videantur, sinisteritatis atque etiam malignitatis famam consequuntur. » (IX, 5, 2.)

« Non ut plerique, qui tantum viventes amant seu potius amare se simulant, ac ne simulant quidem, nisi quos florentes vident. Nam miserorum non secus ac defunctorum obliviscuntur. » (IX, 9, 1.)

« Tantum susceptae rei honestas valet tantumque ad fiduciam vel metum differt nolint homines quod facias an non probent. » (IX, 13, 8.)

« Demus igitur alienis oblectationibus veniam, ut nostris impetremus. » (IX, 17, 4.)

« Tantus audiendi quae fecerint pudor quibus nullus faciendi quae audire erubescunt.... Incitantur enim homines ad cognoscenda quae differuntur. » (IX, 27, 2.)

« Ea invasit homines habendi cupido ut possideri magis quam possidere videantur. » (IX, 30, 4.)

Hactenus haec. Praeceptis in his sententiisque Plinii acutum ingenium reconditamque artem nemo est qui non animadvertat. Quantum autem rerum humanarum usum aperiant, in promptu quoque est. Nempe ita late, ut opinor, omnes hae plinianae de hominibus factisque dictisque et adfectibus vitiisque notationes patent, ut, non modo ad tempus quo auctor scripsit adque homines quorum animos potissimum est scrutatus, verum etiam hodiernam ad aetatem et ad nosmetipsos mire respiciant. Ex his fructum percipere nostrum est.

Plinii igitur epistolis, quanquam philosophiam nullam profitentis, vel dissertationibus in quibus de vita et moribus disputatur, vel multis his exemplis quae tot epistolas complent animosque acriter ad bonum incitant, vel sententiis praeceptisque quarum vis varietasque satis apparent, nos profecto singulariter (ut Nostri verba in clausula iterum usurpem) « ad rationem vitae erudimur [1] ».

1. VIII, 18, 12.

CONCLUSIO

Plinianis igitur in epistolis non deesse quae ad mentem informandam animumque vel ipsa pertineant vel facile verti possint, nunc omnino, nisi fallor, in promptu est. Scholasticum sane opus non composuit Noster; pueros tamen ad educandos non mediocriter aptum. Ejus enim tanta erat educationis cura tamque (hoc praesertim tempore quo nullus, nisi rudis socorsve, ab illa vacaret) inquieta, tantus ardor suos ad studia pariter et ad bonum alliciendi ut in epistolis hinc illinc consilia praeceptaque largiri natura quasi cogeretur. Quod profecto evenit. Ergo magistri, nisi personam partesque, munus saltem suscepit.

Magistrum autem ad discipulos informandos ita praecipuum habemus ut magistros etiam mire ipse informet. Magistri enim non potest fieri quin, Plinii epistolas legentes, summam de suo officio habeant existimationem. Nempe videntes qua intentione, qua religione in praeceptorum delectu Noster utatur, quot quantasque virtutes ab eligendis jure postulet, quanti etiam pretii munus ducat, necessitate quadam usque nitentur ut in dies et semetipsis et pueris et patria digniores

revera sint. Una igitur, Plinio duce, omnes contendent ut, facta aemulatione, suorum discipulorum vere parentes, non modo mentes, verum etiam informent animos, inque hos illud injiciant unde majoribus (quod optimum est) non indigni evadant.

Nunc, quod ad discipulos pertinet, ad hoc nos vertamur. Operae enim pretium est quaerere quem discipulum quibusque seu mentis seu animi dotibus (collectis in unum supra dictis), ornatum instituere valeat Plinius. Inde enim perfectum quasi absolutumque, Plinii sententia, hunc tenebimus. Qui sane, a pueritia optimis seu privatis seu publicis creditus magistris, severa disciplina imbutus, honestis studiis refertus, futurus orator et jam causis assuetus, antiquae vitae imaginem, ut omnia in uno complectar, quam maxime exprimere in dies conatur. Quot enim quantisque animi virtutibus sit praeditus, perspice. Erga suos, erga amicos, erga magistros apud eum vividus amor, inquietus sollicitusque; erga omnes animi bonitas; propensa ad adjuvandum cura; magna industria; indefessus labor; summa morum castitas; summa justitia; mira fides; certa fortitudo; prisca frugalitas; in victu cultuque singularis modestia; rerum usus hominumque peritia, inde exquisitior indulgentia; illustrium virorum facinorumque ardens admiratio; viros imitandi perpetua contentio; temporis acti laus, praesentis non injusta vituperatio; praesentium rerum ratio atque prudentia; legibus obtemperatio; libertatis amor temperatae; principum bonorum cultus, malorum odium; multa fidelitas; aliorum suique reverentia; rei publicae maximum studium; in Deos denique sincera pietas.

Nec mentis virtutibus caret. Quas perfecto quaque die, litterarum studio incensus atque in his omnino versatus quarum tractatione, omissis quae ad scientias spectant, se utiliorem una et jucundiorem fore existimet, pariter acuit augetque. Ingenium

varium, flexibile, multiplex, diversis ab artibus non abhorrens, quod, oratorium ad genus Fabiana doctrina imprimis formatum, et poesi tamen nonnunquam delectetur, et historiam, grave quidem opus, gloriae novae appetens, bonos ad vindicandos tentare non recuset; summa poetarum scriptorumque scientia; multa memoria; subtile judicium, ardens, acre; res multas intelligendi vis; dicendi scribendique accuratum studium; in dicendo scribendoque verborum splendida temeritas.

Quid de hoc adolescente sit sentiendum, jam videre est. Quem, quanquam conspicuis dotibus ornatum, velut perfecti absolutique adolescentis imaginem, nobis habendum negamus. Is enim est qui litteras amplectendi vim intelligendique nimiam fortasse, rebus neglectis aliis, habeat, et in his dicendi genus; qui, publicis officiis certe intentus et boni bonorumque studiosus, hoc tamen acerrimo et plus quam humano careat impetu qui ultra officiorum etiam fines nos trahens pulcherrima gignit facinora. Et bona, et optima quoque facit Plinianus discipulus; pulcherrimis autem et quasi heroicis et ad posterorum admirationem usque suscitandam renovandamque idoneis, ne sit impar cavendum est.

Nec mirum. Plinianis enim epistolis nullus discipulus, nisi Plinii ipsius instar, informari potest. Plinius ad Plinios effingendos longe praestat. Quibus certe nihil probius, nihil gravius, nihil jucundius, nihil studiosius inveniatur nec, plerisque temporibus, desiderabilius; apud quos tamen aliquoties ipsae virtutes sibi invicem noceant. Officii nempe officiorumque suorum majorem habent religionem quam ut officii gratia contra officium ipsum agantur. Heroas tamen ad informandos si non valet Plinius nec valere curat, honestissimos saltem homines et valde probatissimos instituere viget qui sive ingenii sive animi virtutibus primum inter omnes obtineant locum. Meliores igitur, si possint alii, et doctrina et tum suo, tum

aliorum exemplo effingant. Tam pulchrum sibi munus reservavit Plinius ut nihil aliis invideret : cujus epistolae ad pueros instituendos, quanquam rem nullo modo profitentur, ita mire ipsae, magistrorum etiam neglecto auxilio, proficiunt (non aliter sane ac multa latina opera), ut omnium in manibus ullo sine discrimine, quod profecto summum est, ponere possimus debeamusque.

Vidi ac perlegi
Lutetiae Parisiorum, in Sorbona,
a. d. III kal. mai. ann. MDCCCXCV,
Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus,
A. Himly.

Typis mandetur.
Academiae Parisiensis rector,
Gréard.

ERRATA

P.	Lege :
1, 7	pr*a*emia.
7, 26	Nicet*en*.
10, 3	*G*enitore.
12, 4	*C*omenses.
14, 2	*cum*.
17, 8	qu*e*madmodum.
», 11	adolescent*e*s.
20, 2	semper *fuerit*.
21, 3	eff*e*cit.
24, 1	*N*ostri.
», 4	a*r*dorem.
», 14	cryptopo*r*ticum.
25, 8	*N*oster.
26, 17-18	historiam, *et*, optima addens consilia, illud cum eo pacisc*itur*.
», 22	*H*ipponensis *del*phini.
28, 32	VI, *6*.
29, 7	e*x*temporalia.
30, 4	*M*usis.
», 27	intell*e*gebat.
31, 31	IX, *10*.
34, 26	pertin*eat*.
36, 9	*H*ipponensem.
37 20	qua*tuor*decim.
40, 11	*quantum* Quinctiliani.
42, 1	*juniores* lectores.
», 28	quasdam *ipse* causas.
44, 29	ibid. *12*.
45, 4	homine*m*.
46, 8	episto*la*.
49, 29	intell*e*gebat.
51, 15	s*t*ilo.
54, 8	verum etiam *se*.
56, 8	*a*ssensum.
», 12	m*a*erore.
», 28	*F*abato.
59, 5	Spuri*nnae*.
60, 16	pr*a*emium.
», 28	I, *22*.
», 29	*V*, 31.
», 36	*VI*, 1.
61, 1	*suis* auxilians.
62, 28	*tui*.
66, 18	*altero* dato.
67, 14	*N*ostri.
», 19	B*a*eticam.
», 21	B*a*eticis.
», 22	*pia*culari.
72, 13	memoriam *a dedecore* vindicare.
», 29	VII, *2*9.
», 30	*VIII*, 6.
73, 24	Tr*a*jani.
75, 31	III, 6, *5*.
77, 16	adolesc*entiæ proprium* istud.
83, 19	*haurias* reverentiam.
86, 30	VII, *19*.
88, 1	posi*ta*.
91, 26	pr*a*efert.
92, 5	acoribus.
93, 30	quorum.
95, 29	*pro*fecto.

INDEX RERUM

Columbariis. — Ex typis Pauli BRODARD. — 385-95.

COLUMBARIIS
Ex typis PAULI BRODARD.